Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/descriptioprovin00eder

DESCRIPTIO

PROVINCIÆ MOXITARUM IN REGNO PERUANO,

Quam e ſcriptis poſthumis FRANC. XAV. EDER *e Soc. Jeſu annis XV. ſacri apud eosdem Curionis digeſſit, expolivit, & adnotatiunculis illuſtravit Abb. & Conſil. Reg.* MAKO.

BUDÆ,

Typis Univerſitatis, 1791.

AD LECTOREM.

Inter omnia, quæ de rebus Americanis ad hanc uſque diem literis conſignata ſunt, ea procul dubio principem merentur locum, quæ non a viatoribus, littora duntaxat, vel colonias ab Europæis inſeſſas luſtrantibus, verum quæ ab iis proficiſcuntur, qui ad interiores, ac remotiſſimos regionum tractus, ad ipſa adeo barbarorum latibula ſeſe penetrarunt, ibique annis compluribus diverſati ſunt. Hi enim longe utique poterant exactius cœli, terrarumque indolem, fluviorum curſus, mores populorum, omnesque naturæ procreationes, & varietates

obſervare, atque ad poſteros literarum monumentis transmittere.

Ex his erat Ederus noſter, annis quindecim ſacrorum apud Moxitas adminiſter, qui regno Peruano bis peragrato in patriam redux iſta, quæ nunc in lucem damus, hortatu amicorum diſperſim, ut in memoriam res unaquæque redibat, conſcripſit. Utinam vero, vir cetera præſtans, & curioſus naturæ indagator, cognitionem naturalis hiſtoriæ comparare ſibi potuiſſet! quantis eandem acceſſionibus cumulaſſet? At nunc ſyſtemate omni deſtitutus arbores, fructus, & animalia diligenter equidem, ſic tamen deſcripſit, ut claſſes, genera,

&

& ſpecies in multis ne divinando quidem potuerint definiri.

Ego, quod unum erat reliquum, id dedi operam, ut, quæ ille ad chartam nulla certa lege conjecit, in ordinem redigerem, illuſtrarem, &, quantum res ferebant, expolirem. Adjunxi, ubicunque poteram, e Linneo, aliisque hiſtoriæ naturalis magiſtris rebus nomina ab amico ſuggeſta: vulgaria tamen in decurſu operis retinui. Sermonis puritatem ſicut non neglexi, ita nec etiam fui anxie conſectatus; intelligi enim, quam a latinitate commendari, malui. Quid profecerim, judicium lectoris erit. Adjunxi tabellam quoque geographicam, partim e rudi Autoris ipſius adumbratione ſerius ad me

delata, partim e noviſſima Peruviæ charta concinnatam, quæ pro accurata, & primigenia Moxitaniæ mappa haberi merito poſſit. Minuta quædam, ſcituque minus digna epiſodia prætermiſi, nihil tamen ad hiſtoriam ipſam addidi, quæ tametſi ſatis expolita fortaſſe non ſit, non poterit tamen legentes propter novitatem, & admirabilem rerum varietatem non majorem in modum delectare.

No-

NOMINA SUBSCRIBENTIUM

Domini.

Exempl.

Academia Regia Caſſovienſis. . . . 1
Adamovich Rochus Secretar. Aul. Viennæ. 1
Agnelli Stephan. Pharmacop. in Paks. 1
Anchely Ildephonſ. Cooper. Vacii. . 4
B. Andráſy Ant. Epiſ. Roſnavienſ. . . 1
Árvay Jacobus Mag. Sch. Vern. Budæ. 1
C. Balaſſa Franc. Excell. Cancellar. Aul. Viennæ. 1
Baláſy Franc. Senator Budæ. . . . 1
Bano Emer. Aſſeſſor Bartphæ. . . 1
Baranyai Antonius Spanus Cameral. . 1
Bárdi Adamus Canon. Roſnavienſ. . . 1
Baricevich Adamus Paroch Zagrab. . . 1
Barits Adalbert. Prof. Univ. Peſtinenſis.. 1
Barzay Nicolaus e Comit. Abaújvár. . 1
Baumeiſter Joannes, Nagy-Bányæ . 1
Belnay Georgius Jur. Peſtini. . . . 1
Bendik Andreas Fiſcal. Comit. Neoſ. . 1
Bendik Franc. Breſenyobányæ. . . . 1
Benedek Auguſtin. Canon. Vacienſ. . 1
Beniczky Carol. ad Exc. Conſil. Budæ. . 1
Benkö Nicolaus Canon. Nitrienſ. . . . 1
Benzur Paulus ad Exc. Conſ. Budæ. . 1

Domini.

	Exempl.
Benyák Bernard. Dir. Gymnaſ. Albæ. .	1
Beſzegh Joannes, Sopronii. . . .	1
Bibliotheca Univ. Reg. Peſtinenſ. .	2
Bodonyi Alexand. Canon. Vacienſ. .	1
Boér Emericus Claudiopoli in Tranſil.	10
Boros Ludov. Conſil. Aul. Budæ. . .	1
Boſnyák Paulus, Leutſoviæ. . .	1
Brand Ignat. Prof. Univ. Peſtin. . .	1
Buday Andr. Phyſ. Com. Sirm. in Valkovár.	1
Cerva Joannes, Keſmarkini. . . .	1
Cervus Adamus Paroch. in Topolya. .	2
Cſapodi Ludov. Canon. Veſprim. . .	1
Cſiffári Paulus Med. Doct. Peſtini. .	1
Czepetz Joſephus Percept. Civit. Agrienſis.	1
C. Cziráky Ladislaus Budæ. . . .	1
Delpini Joannes Canon. Nitrienſ. . .	1
Demjén Ant. Prof. Univ. Peſtin. . . .	1
Domin Joſeph. Profeſſ. Acad. Reg. 5. Eccleſ.	1
Dorfner Jacobus Kremnitzii. . . .	1
Eberle Sebaſtian. Præp. Inful. Budæ. .	1
Edlinger Franciſcus Budæ. . . .	1
Engler Andreas, Breznyo Bányæ. . .	1
Erdélyi Joſeph. Canon. Vacienſis. . .	1

d'Eſte

Exempl.

Domini.

d'Eſte Victor Prof. Acad. Reg. Caſſov.	1
Farkas Joan. Bapt. Paroch. Dantovenſ.	1
Fáy Auguſt. Conſil. & Vicecomes Caſſoviæ.	1
Fehérváry Carolus Eperjeſini. . . .	1
Felkis Anton. Fiſcal. Comit. Strigon.	1
Ferbarits Joſephus, Criſii. . . .	1
File Andreas Exhort. Archig. Budenſ.	1
Fodor Joſeph. Secret. ad Exc. Conſ. Budæ.	1
Förder Auguſt. Ord. S. Dominici Peſtini.	1
Fuchs Franc. Xav. Epiſcop. Nitrienſ.	2
Fuker N. Med. Doct. Caſſoviæ. . .	1
Gály Andreas Dir. Prot. in Cancell. Aul. Viennæ.	1
Geiger Mathias Præpoſ. Inful. Jaurini.	1
Gergely Joſeph. Profeſſ. Neoſolii. .	1
Géczi Franc. Ord. Jud. Nob. Comaromii.	1
Glabics Carol. Ord. Not. Neoſolii. .	1
Goor Adamus Notar. Sükesdienſis. .	1
Gutth Franc. Ord. Notar. Bartphæ.	1
Gyattel Antonius Canon. Nitrienſ. .	1
Gyurkovits Franc. Prof. Univ. Peſt. .	1

Exempl.

Dominî.

Gyurtsák Ignat. Prof. Gymn. Neoſol. 10
Haraſzlem Antonius, Kremnitz. . 1
Hartmann Joann. Nep. Paroch. Budaörſienſ. 1
Hatvanyi Steph. ad Exc. Conſ. Budæ. 1
Heinrich Thaddæus, Libet-Bányæ. . 1
Hell Maximil. Aſtron. Cæſar. Viennæ. . 2
Herſching Daniel Epiſcop. & Præpoſ. Capit. Nitrienſ. 1
Höck Franc. Direct. Acad. Orientalis Viennæ. 1
Horváth Joann. Bapt. Prof. Univerſ. Peſtini. 1
Horváth Michael, Caproncزæ. . . 1
Hury Paulus, Parochus Bajnenſis. . . 1
Jakoſics Joſeph. Ord. S. Fr. Guard. Budæ. 2
Jeniſch Bernard. Conſil Aul. Viennæ. 1
Kalatay Franc. Xav. Epiſcop. Mag. Varad. 1
Kamanházy Ladisl. Canon. Nitrienſ. . 1
Karaba Georg. Præp. Capituli Roſnav. 1
Kaſper Joſeph. Ord. Not. Eperjeſini. . 1
Katona Steph. Bibliothecar Colocenſ. 2
Keill Ignat. Parochus ad Szomolnok. 1

Kelcz

Exempl.

Domini.

Kelcz Emericus Canon. Jaurinenſ. . 1
Kenyeres Joſephus Canon. Roſnavienſ. 1
Kerens Henricus Excell. Epiſcopus ad S. Hippol. 1
Kis Michael Prodir. Cauſ. Regal. Peſtini. 1
Kis Paulus Præpoſit. Capit. Veſprimienſ. 1
Kleinrath Carolus, Ruſti. . . . 1
Klempay Thomas, Caſſoviæ. . . 1
Klobuſiczky Joſeph. Conſiliar. Budæ. 2
Klobuſiczky Petrus Canon. Coloczenſis. 2
Kollar Stephan. Secretar. Conſiſt. Budæ. 1
Konde Benedict. Aſſeſſor Comitat. Strigonienſis. 1
Konde Nicol. Epiſcop. & Vicar. Gener. Budæ. 1
Koppauer Ignatius, Temeſiæ. . . 1
Kotsó Georgius Regiſtr. Archiv. Budæ. 1
Kotzka Franciſcus Agriæ. . . . 1
Krajachich Vincent. Advocat. Zagrabiæ. 3
de Krivecsky Conſil. Viennæ. . . 1

Lafftsák

Exempl.

Dominí.

Lafftsák Joann. Nep. Canon. Vacii. . 1
Lang Auguſtin. Bibliopeg. Albenſ. . 1
Lázonyi Ignat. Cibinii in Hungar. . 1
Liel Ignat. Cooperat. in Vindſchacht. . 1
Löley Alexand. Canon. Nitrienſis. . . 1
Lónyai Melchior e Comit. Beregh. . 1
B. Luſénſzky N. 1
Lyubicſics Ignat. Paroch. Neobudæ. . 1
Madolay N. Agens Aul. Viennæ. . . 1
Magyari Ladisl. Prof. Archig. Budenſis. 1
Majláth Anton. Canon. Jaurin. . . . 1
Majláth Georgius Conſil. Peſtini. . . 1
C. Majláth Joſeph. Excell. V. Præſ. Camer. Aul. Viennæ. 1
Mandics Anton. Epiſcop. & Conſil. Budæ. 1
Markovich Stephan. Conſil. Reg. Peſtini. 1
Matejovics Martin. Præpoſ. Capit. Neoſol. 1
Matthey Vencesl. Jud. Kesmarkini. . 1
Matulanyi Ignat. Paroch. N. Szalatn. . 1
Matyaſovſzky Nicolaus Olſvæ. . . . 1
Medveczky Joann. Cancelliſta Budæ. . 1
Méſzáros Michael Canonic. Roſnav. . 1

Metzner

Exempl.

Domini.

Metzner Paulus, Eperjeſini. . . 1
Metzner Samuel, Eperjeſini. . . 1
Mihalóczy Georg. Prof. Acad. Reg. Mag. Varad. 10
Miklosſy Emeric. Ord. Notar. Comit. Strigon. 1
Mikóczy Joſephus Zagrabiæ. . . 1
Miller Sebaſtianus, Szegedini. . . 1
Miskey Paulus, Aſſeſſor Jaurini. . 1
Miſſitz N. V. Comes Ord. Comit. Strigon. 1
Mitterpacher Ludov. Prof. Vniv. Peſt. . 1
Mokoſinyi Anton. Mag. Poſt. Bartphæ. 1
Mulich Joannes Zagrabiæ. . . . 1
C. Nádasdi Mich. Excell. Cuſtos Coronæ Budæ. 1
Nagy David Advocat. Budæ. . . 1
Nagy Joſeph. Conſil. Aul. Viennæ. . 1
Nagy Udalricus Prof. Archig. Caſſov. 1
Nagyváty Joannes, Peſtini. . . . 1
Nejedly Joſephus Canon. Nitrienſ. . 1
Nikolich Stephanus, Budæ. . . . 1
Nitray Gabriel, Prof. Univ. Peſtini. . 1
Nitray Matthias, ad Exc. Conſil. Secretar. Budæ. 1
Ockl Cæcilianus Ord. S. Franc. Budæ. . 1

Oko-

Exempl.

Domini.

Okolicsányi Anton. Canon. Neoſol. . 1
Oláh Michael in Nánás pro Joan. Imre. 1
Oſtoits Joannes, Neoplantæ. . . 1
Paál Caſp. ab Ehrenfels Can. Varad. . . 1
Pajer Ignat. Ord. Fiſcalis Bartphæ. . . 1
Paitner Mich. Præpoſ. Inful. Veſprimii. 1
Palkovics Andreas Phyſ. civit. Budenſ. 1
Palkovics Georg. Coop. in Vindſchacht. 1
Pallics Carolus, Canon. Neoſol. . . 1
Paracelſus Ignat. Paroch. Bartphæ. . . 1
Pauer Adamus, Strig. 1
Péchy Joſeph. Ord. Jud. Nobil. Eperjeſ. 1
Péchy Ladisl. ſen. Conſil. & Ord. V. Com. Eperjeſini. 1
Péchy Ladisl. jun. Eperjeſini. . . 1
Pethö Jacobus, Inſp. Reg. Schol. Vernac. Budæ. 1
Petráſs Anton Fiſcal. 5. Eccleſiis. . 1
Pinkovics Joann. Paroch. Szantovienſ. 1
Piſch Georg. Direct. Schol. Vern. Budæ. 1
Platthy Mathias, Canon. Neoſolii. . . 1
B. Podmaniczky Joſ. Conſil. Budæ. . . 6
Polinſzky Joannes, Caſſoviæ. . . 1
Pray Georgius, Canon. M. Varad. . 1
Prileſzky Adalbert. Canon. Nitrienſ. . 1
Prokopovich Joannes Lubloviæ. . . 1

B.

Exempl.

Domini.

B. Pronay Alex. in Almás Com. Peſt. 1
B. Pronay Gabriel, in Atsa. . . . 1
B. Pronay Ladisl. Excell. in Atsa. . . 1
Puchner Jacobus, Cooperat. Budæ. . . 1
Pürſcel Mathias, Carponæ. . . . 1
Püſpöki Franc. Canon. Varadin. . . 1
Rabenhuber Ign. ad Exc. Conſ. Budæ. . 1
Ranich Steph. Abb. Inf. & Par. Thereſiop. 1
Rauch Ignat. Parochus Neoſol. . . 1
Rauſch Franc. Canon. Colocenſ. & Prof. Univ. Peſtin. 1
Rembeczky Joann. Baſinii. . . . 1
Rendl Joſeph. ad Exc. Conſil. Budæ. . 1
C. Révay Pet. Exc. Conſ. Aul. Viennæ. 1
Richard Joſ. Paroch. in Aquat. Budæ. . 1
Riegler Fr. Gener. Percepr. Com. Strig. 1
Rudnyák Andr. ad Regni Archiv. Budæ. 1
B. Saalhauſen Maurit. Prodir. Acad. Reg. Caſſov. 1
Sáy Joſeph. Ord. Not. Albæ. . . . 1
Salamon Norbert. Prof. Acad. Reg. Caſſovienſ. 1
C. Sauer Cajetan. Epiſc. & Præp. Capit. Varad. 1
Schratzenthaller Andr. ad Exc. Conſil. Budæ. 1

Schvartz-

Exempl.

Domini.

Schvartzmann Aloyſ. Prof. Neoſol. . 1
Sebaſtianovich Emeric. Advoc. Budæ. 1
Siſſay Joannes Conſ. Reg. Strigonii. . 1
Smercsányi Ign. Carponæ. . . . 1
Sneerer Joannes Canon. Roſnaviæ. . . 1
Söreſs Franc. Paroch. Vindſchachtenſ. 1
Spaits Steph. Prof. Archig. Budenſ. . 1
B. Splényi Fr. Xav. Epiſc. Vacienſ. . 4
Stehovics Stephanus, Conſul Caſſovienſ. 1
Stephani Martin. Paroch. Vet. Montan. 1
Stetner Joſ. Poſonii. 1
Straba Steph. Coop. Privid. . . . 1
Strahler Joſ. Comarom. 1
Stratimirovich Steph. Archiep. Carlov. 3
Sturr Joſeph. Prof. Univ. Peſtinenſ. . 1
Szabó Andreas, Epiſc. & Can. Strigon. 1
Szàbó David, Prof. Archig. Caſſov. . 1
Szegedi Paul, Vic. & Can. Cap. Albenſ. 1
Szerdahelyi Aloyſ. Can. Vac. & Dir. Archig. Budenſ. 1
Szanko Chriſt. Salis Percept. Bartphæ. 1
Sztankovits Caſpar. Cooperat. Budæ. . 1
Sztrakoniczky Ladisl. Veteroſolii. . 1
Szuhányi Franc. Prof. Archig. Caſſov. 1
Szunerics Martinus, Direct. Gymn. Jaurin. 1

Szvet-

Exempl.

Domini.

Szvetniczky Joann. Prof. Neoſolii. . 1
Tahy Ant. jun. Ord. Not. Com. Eperjeſ. 1
Takács Martin. Canon. Coloceſ. . 1
Talaber Ladislaus, Peſtini. . . . 1
Tamáſy Andr. Cancell. civit. Caſſov. . 1
Taſchler Joſ. Prof. Archig. Caſſovienſ. . 1
Tőke Michael, Conſil. Reg. Leutſoviæ. 1
Török Andreas, General. Locumt. Strigon. 1
Tóth Volfgangus Prof. Archig. Budenſ. 1
Trſztyánſzky Daniel, Conſiliar. Budæ. 1
Ujházi Franciſcus, Budæ. . . . 1
Ulrich Franc. Xav. Budæ. . . . 1
Urbanovſzky Joannes, Cooperator Budæ. 1
Urmb Jacobus, Canon. Nitrienſ. . 1
Ürményi Joſephus, Excell. Perſonalis Peſtini. 1
Vadáſz Emericus, Schemnitzii. . . 1
Vagner Joſephus, Notarius civitat. Caſſov. 1
Vályi Andr. Prof. ling. Hung. in Univ. Peſt. 1
Valter Franciſcus, Scriba Montan. Schemn. 1
Végh Stephanus, Conſil. Budæ. . 1

Exempl.

Domini.

Véghleſſy Emericus, Szakolczæ. .	1
Veſſelay Joannes Canon. Roſnav. .	1
Vezza Gabriel, Protomed. & Conſ. Reg. Budæ.	1
Vietoris David, Medic. Doct. Caſſoviæ.	1
Virágh Matthias, Bakabányæ. . .	1
Vörös Antonius, Conſil. Aulicus Budæ.	1
Vörös Emericus, Schemnitzii. . .	1
C. Ybarra Ignatius, Roſnaviæ. . .	1
Zerdahelyi Gabr. Epiſcop. & Præp. Capit. Vacienſ.	1

Ll.

LIBER PRIMUS

DE COMPENDIARIA REGNI PERUANI DESCRIPTIONE.

C A P U T I.

De ſitu Regni, & de urbe Lima ſpeciatim.

Peruvia, finium amplitudine Europa non multo anguſtior, ſita eſt in ea Americæ parte, quæ obvertitur ad meridiem, tenditurque Aquilonem verſus ad Quitenſem usque provinciam; ad Auſtrum Paraquaria, ad ortum Braſilia, ad occaſum denique mari pacifico definitur. Fines ejusdem, qua in latum por-

rigitur, mappæ vulgares ſatis accurate exhibent: verum longitudo, Braſiliam verſus excurrens, definiri nondum potuit propter vaſtiſſimos, atque etiamnum ignotos terrarum tractus interjacentes, quos percurſare, atque luſtrare res foret perardua, plena quidem certe tædii, & patientiæ. Quot enim reperias viatores, qui paſſim occurrentes, & pontibus deſtitutos fluvios aquis collo tenus non ſine vitæ periculo immerſi trajicere, ſine hoſpitiis ullis itinera incerta proſequi, ſecuri viam in ſilvis aperire, ſarcinas humeris deferre, ſole in campis patentibus exuri, potura modo penitus deſtitui, modo lutulenta, ac fœdiſſima ſitim ſedare, rebus fortuito oblatis veſci; quot, inquam, reperias, qui hæc, & ſexcenta idmodi incommoda ſubire aut poſſint, aut velint? Illi fere ſoli hactenus iſta tentarunt, qui ſacratiore ſtudio incitati barbarorum non opes, ſed animas quæſiverunt, fineſque tam Peruviæ, quam Braſiliæ

ſiliæ novarum acceſſione provinciarum longius protulerunt.

Regnum hoc ampliſſimum juribus Hiſpanorum adjecit Franciſcus Pizzaro rege, ſeu Inca, qui tunc genti præerat, interemto. (*a*) Urbs totius regionis princeps *Lima* eſt, nomen ſortita a fluvio *Limak* eandem interfluente. (*b*) Urbium ceterarum inter ſe diſtantias metiri licebit ex itinere, quod Autor noſter Lima digreſſus ad ſedes usque Moxitarum fecit milliarium noſtratium plus quam 430. Vaſtiſſimo huic tractui rariſſimi ſunt inſperſi vici, & oppida, pauci item pro terrarum modo incolæ. In ceteris regnis, ſi Mexicum demas, major etiam ſolitudo. Satis certe conſtat in quatuor Europæ urbibus, Londino ſcilicet, Lutetia, Vienna, & Amſtelodamo plures numerari homines, quam in

(*a*) Inca hic gentis poſtremus fuit *Atahualpa*.

(*b*) Limam Pizzaro primum condidit: urbs enim princeps ſub Incarum regno *Cuſco* fuit.

in tota Paraquaria, Chili, Quito, & novo Regno, quarum tamen quævis Galliam univerſam magnitudine longe antecellit. Numerum barbarorum ante Hiſpanorum in has terras ingreſſum pene innumerabilem tum alia multa, tum improbus ille, & continuatus in fodinis metallorum labor ſenſim minuit, unde exiſtit odium illud in Hiſpanos plus quam Vatinianum, quibus defoſſas opes, ac ditiſſimas auri, argentique venas tanta celant pertinacia, ut malint vitam inter cruciatus ponere, quam indicium facere. Unicum auri detecti ferunt proditum eſſe exemplum. Erat ſcilicet regni Gubernator, qui toto præfecturæ ſuæ quinquennio valde moderatum, ac pene paternum exercebat in gentem imperium; quem, cum provincia decedere, & reditum in Hiſpaniam parare vulgatum fuit, narrant concubia nocte velatis oculis in cavernam quamdam deductum, tantumque auri depromere juſſum fuiſſe, quantum ad for-

tunas

tunas domi conſtabiliendas ſuffecturum eſſe videretur. (*a*)

(*a*) Quod hic de improbo metalla eruendi labore Autor commemorat, ſcriptores exteri plerique adteſtantur. Non deſunt tamen, cumprimis ex Hiſpanis, qui invidiam hanc a Peruanis Prætoribus amoliri, ac laborem illum emollire conentur. Don Antonio de Ulloa, qui Pariſinis Academicis ad dimediendum meridiani per Americam gradum a Rege Hiſpaniarum una cum Georgio Juan ſocius additus ab anno 1735. usque ad 1744. in America verſatus fuit, rurſumque ſerius varias ibidem provincias gubernavit, in opere ſuo: Noticias Americanas &c. negat aut numerum indigenarum hac de cauſa diminutum, aut hunc metalla eruendi laborem admodum operoſum eſſe. Verba ejusdem ex editione Germanica ſunt:

„Die Arbeit (in den Bergwerken) wird durch „die Indianer, und Moſtizen verrichtet; wovon dieſe freywillige, jene aber dazu verpflichtet ſind. — „— — Was das Taglohn anbelanget, iſt es bey „beyden gleich, ſehr reichlich, und durch eine gewiſſe Taxe feſtgeſezt, nach welcher es niemals geringer, als vier Realen dortigen Geldes iſt, ob es „gleich auch Bergwerke giebt, wie die zu Potoſi, „wo ſie für den Tag einen Peſo Lohn erhalten. Es „iſt eine gemeine, aber ganz irrige Meynung, daſs „die Arbeit in den Bergwerken ſehr hart ſey, und „dieſe Leute zu Grunde richte, allein weder das

„eine,

Numerum indigenarum compenſant Æthiopes partim ex Africa quotannis traducti, partim in ipſa jam America procreati. Tertiam profecto incolarum partem in tota late America ex iisdem conflari communis

omni-

„ eine, noch das andere iſt wahr. Ein deutlicher „ Beweis hievon iſt, daſs die Moſtizen, und andere „ Indianer, an welchen die Reihe der *Mita* (daſs iſt, „ die zur verpflichteten Arbeit beſtimmte Zeit) nicht „ iſt, ſich melden und freywillig zur Arbeit ſich anbieten, und daſs ſelbſt die *Mitayos*, oder verpflichteten, wenn ihre Arbeitſtunden verfloſſen ſind, ſich „ anbieten, ſi zu verdoppeln, das heiſst, Tag und „ Nacht, oder alle Tage hintereinander zu arbeiten, „ um deſto mehr Lohn zu verdienen. — — Man bemerkt nicht, daſs ſie dadurch krank werden, oder „ ſonſt von einem beträchtlichen Ungemach dabey leiden. — — — Dieſe *Mitas* dauren 6. Monate; nach „ Verflieſſung derſelben werden ſie abgelöſet, damit „ ſie nach Hauſe gehen, und ihr Land beſtellen können; ſie haben hernach 2. oder 3. oder mehr „ Jahre frey, ehe die Reihe wieder auf ſie kömmt, „ nachdem die Flecken, und Dörfer mehre, oder „ weniger Einwohner haben.„ Phyſikal. und hiſtoriſche Nachrichten von ſüdl. und nord. öſtl. America 2. Theil. Seite 50.

Con-

omnium, nec vana, eſt opinio. Ex hoc genere leguntur ſervi, aurigæ, opifices, paſtores, ſacchari confectores, verbo adminiſtri ad quosvis vitæ uſus neceſſarii, ſi ſolos demas metallorum foſſores. Non deſunt prædia, in quibus quadringenta conjugum paria numerare poſſis. Verum univerſe minor eſt

---

Confirmat rem, quod P. Acoſta Hiſtoire naturelle, & morale des Indes L. IV. c. 11. refert, ſcilicet Peruanos jam longe ante Hiſpanorum adventum fodinas mercurii coluiſſe, minii, ſeu cinnabaris gratia, qua corpora ſua depingebant. Fodinæ hæ in *Guancavelica* tam erant amplæ, & in ramos multos protenſæ, ut, qui eas hodie perſequatur, in labyrinthum ſeſe immittat, e quo exitum non reperiat. — — — Labor ergo iſte his hominibus inſuetus minime fuit, cum ab Hiſpanis imperabatur: ſed & aurum debebant utique effodere; unde enim eorum Incæ tantas opes congeſſiſſent? Ita illi.

Affinia ſunt, quæ Gilij ſcriptor Italus tradit. Saggio di Storia Amer. T. IV. pag. 299. Ceterum decreta regis catholici annorum 1601, & 1606, ordinesque ſeveriſſimi toties repetiti luculenter oſtendunt, indigenas, Prætorum, aut privatorum avaritia, atque impotenti dominatione improbo hoc operis genere crudeliter fuiſſe divexatos.

mulierum, quam virorum numerus, quæ vel in urbibus obeunt munia ſexui propria, vel in villa labore ruſticano una cum maritis occupantur. Pretium juvenis Æthiopis recens advecti ad florenos mille adſurgit, quamquam duplo, aut quadruplo etiam venire ſoleat, ſiquis tonſorum, fabrorum, aut aliam quampiam artem profiteatur. Mira eſt Hiſpanorum clementia erga hoc ſervorum genus: at apud Luſitanos habentur ut mancipia, coguntur que acerbiſſimam ſervire ſervitutem.

Situs Limanæ urbis tum per ſeſe amœnus eſt; tum haud parvam conſequitur gratiam a virore adſitarum arborum, hortorum, & camporum, ab aquis item e fluvio canalium ope quaquaverſus derivatis. Vicinitas porro oppidorum, cumprimis autem portus Callao, duabus duntaxat leucis ſejuncti, illud efficit, ut Lima non Americanis modo, ſed etiam Europæis mercibus generum omnium

um abundet. Neque gleba ipſa avare reſponderet colono, niſi omnis incolarum induſtria unice in eruendis metallis conſumeretur. Quia vero ſub undecimo trans æquatorem gradu urbs collocata eſt, calore immodico exæſtuat, niſi ventis ab Auſtro adſpirantibus aura temperetur. Sunt tamen menſes, quibus propter alpium vicinitatem frigus exiſtit vix ferendum. Atque iſta aeris viciſſitudo videtur in cauſa eſſe, quod locus cetera amœniſſimus commendari a ſalubri cœlo haud poſſit: quanquam etiam creberrimæ telluris ſuccuſſiones gloriæ ejusdem haud parum detrahunt: anno certe 1746. pene urbs tota in rudera conſedit. Accedit immenſus quidam, & nulla arte ſatis arcendus pulicum, incolas dire divexantium, exercitus; aliud præterea inſecti genus, quod *Pique* (*a*) vocant, mirum in modum fœcundum, & jugi prurigine corpora excrucians, nec niſi acutis acu-

(*a*) *Pulex penetrans* Linn.

um cuſpidibus e carne, ad quam ſe inſinuavit, effodiendum.

Murus urbem includens ſtructus eſt e lateribus ſole induratis tanta extenſione, ut facile caperet ſexcenta civium millia, quorum tamen numerus ultra ſexaginta non adſurgit. Hos inter Hiſpani, nulla ſanguinis communione cum barbaris permiſti, ad ſex mille cenſentur: reliquam turbam illi conficiunt, qui e confuſis Hiſpanorum, Indorum, ac Æthiopum conjugiis orti ſunt, tanta colorum, & nominum varietate, ut vel enumerare operoſum ſit. Civitas omnis hortis infeſſa eſt ampliſſimis, qui non tam ornamento, quam finibus augendis deſerviunt. Nulla in his arborum cura, & ordo; nulla florum, & areolarum apta diſtributio; nullæ ſalientes aquæ, picturæ, aut ſtatuæ. Domus propter crebras terræ ſuccuſſiones conſiunt e lignis, quæ de Chilenſi regno, & Guayaquil navibus advehuntur, eæque humiles

miles, at ſatis amplæ, & magno conclavium numero inſtructæ. Tabulæ in parietinis tam dextre copulantur, ut continenti muro conſtare videantur. Lacunaria plana luto ſuperne inducuntur, nec alio indigent mortario, vel ruderatione, cum nullam unquam excipiant pluviam. Plateæ cæmentis inſtratæ non ſunt; quare ad vitandos pulveres, ſolis item ardorem, & infeſta animalcula, omnes, etiam mediocris fortunæ incolæ, præjuncto mulo, vectantur eſſedis, duabus duntaxat rotis inſtructis. Numerus hujusmodi vehiculorum ſex mille facile æquat. Viſuntur etiam carpenta noſtratia, ſed fœda admodum, & antiquam barbariem redolentia. Templa tamen ſemper pedites adeunt etiam primi ſubſellii viri, & matronæ.

Quod ad Limanorum indolem adtinet, eſt ea ad omnem humanitatem informata. Mire capiuntur pictura, muſica, ceterisque artibus, quas cum ipſi ignorent, peritos ea-

rundem

rundem peculiari benevolentia, immo etiam munificentia complectuntur. Siquis ex Europa nuper adpulſus legere, & ſcribere norit, modo honeſtate morum commendetur, brevi divitias non mediocres adipiſci poterit. Sin autem præterea artem medicam, chirurgicam, muſicam, aut genus quodpiam opificii vel mediocriter calleat, acervos pecuniæ numerabit. Habent enim Limani hoc laude digniſſimum, quod hujusmodi advenis certatim omnes opitulentur. Unde fit, ut qui nuper in Hiſpania vitam tolerare vix potuit, non multo poſt tempore ſummam pecuniæ congerat non jam millibus, ſed millionibus numerandam. (*a*) Cives plerumque domi

(*a*) Forte non Florenorum noſtratium, ſed *Maravedorum*, pecuniæ ſcilicet apud Hiſpanos minimi valoris, milliones Autor intelligit: ſatis enim conſtat fortunas tantas hodie vel inter mercatores Hiſpanos eſſe raras; aurum autem, & argentum, quæ primis a Peruvia inventa annis modiis fortaſſe admetiri licuit, quotidie diminui.

domi ſplendidi, ac magnifici, interiore ædium ſuarum ornatu inſtructi ſunt pretioſiſſimo, domeſtica item ſupellectile, & numeroſa ſervorum, atque ancillarum turba. Cumprimis oſtentare ſe ſolent in conviviis, quorum impendia ſæpe adſurgunt ad quadraginta aut quinquaginta florenorum millia, luxu ſane vel in Europa ipſa inaudito. Icones, ſpecula, ceteraque hujusmodi conclavium ornamenta argenteis laminis conveſtiunt. Vaſa coquendis, & capiendis cibis eodem ex metallo adparant: cetera luxus inſtrumenta pleraque aurea ſunt. Videas interdum matronas, etiam ordinis inferioris, prodire in publicum ornatu centum florenorum millibus comparato. Quid dicam de inſana ludendi aviditate? ſatis certe conſtat complures ſacculos, quorum unusquisque duobus eſt refertus florenorum millibus, libidini huic dedicari, & uni chartæ folio, vel aleæ duodecim idmodi ſacculos, uno vel

ut

ut ictu, conſecrari. Unde creberrime accidit, ut complures nuper opulentiſſimi hodie cum extrema egeſtate conflictentur.

Ingenio plerumque ſunt præcoce, ita ut quinquennes, aut ſexennes pueri biluſtribus noſtris uſu rationis non cedant. Literas manſuetiores una cum Philoſophia tertio decimo ætatis anno abſolvere, ac publice etiam propugnare res eſt minime infrequens. Repertus eſt aliquando triennis infans, qui judicio, & ſermonis maturitate urbem omnem, ipſum adeò Prætorem, in ſtuporem dedit. At viciſſim ſatis compertum eſt, annis ingraveſcentibus ingenii vivacitate citius eosdem deſtitui, quam Europæos. Illud in hac ingeniorum alacritate magnopere dolendum, vulgo jacere literarum ſtudia, quibus præclara hæc naturæ ſemina excolerentur: omnis nimirum induſtria in uno commercio, & metallis eruendis conſumitur. Mire capiuntur rebus futilibus, & crepun-

pundiis. Siquid ex Europa advehatur novi, ſi cultelli, vel forficulæ politiores, ſi pyxides formæ nondum viſæ, & aliæ idmodi merces, videas urbe tota veluti ſedibus emota concurſari: nemo ſe felicem reputat ſine rebus hujusmodi ludicris, quantovis pretio redimendis. Vidit Autor noſter pyxidem e papyro confectam, ac apud nos viliſſimam, redemtam fuiſſe pretio florenorum centum ſexaginta. Hæc de urbe Lima, ac ejusdem incolis: nunc provinciam reliquam perluſtremus.

CAPUT II.

De Phyſica Peruviæ Topographia.

Alpes Peruanæ continenti quadam montium præaltorum, & abruptorum catena procurrunt usque ad urbem S. Crucis de Sierra, ſpatio ſcilicet plusquam tercentorum

ſeptua-

ſeptuaginta noſtratium milliarium (*a*). Nulla in his arbor, arbuſta rariſſima. Cacumina alpium pleraque nivibus teguntur perpetuis, unde exiſtit mira illa in Peruvia caloris & frigoris viciſſitudo. Evenit non raro, ut noctem agas in ſolo gelu, ac nivibus adſtricto; prandeas contra ſub arboribus goſſipii, aut florentiſſimis ſacchari cannis. Nihil orbe toto creſcit, quod huc traductum non lætiſſime proveniat, cum nulla fere ſit caloris, aut frigoris temperatio, quam in Peruvia non deprehendas. Hæc tanta alpium veluti conjugatio innumerabiles ſuppeditat fluvios, & prægrandes lacus, qui omnes exo-

(*a*) Alpes hæ ſunt continuatio immenſi illius jugi, quod a promontorio Magellanico in Americam ſeptemtrionalem nuſpiam, niſi interjectis vallibus, interruptum excurrit. Quare non ſic eſt Autor intelligendus, quaſi dicat montes illos ad urbem S. Crucis deſinere; ſed innuit ſe eosdem, itinere plusquam tercentorum ſeptuaginta milliarium transgreſſum, prope urbem illam deſeruiſſe, ac inde per immenſam deinceps planitiem ad Moxitarum usque regionem deveniſſe.

exonerantur in Amazonum fluvium, vulgo Maragnonem, aut Orellanam, oriundum prope Hauham, & oſtiis ad octuaginta milliaria in latum patentibus ſeſe in oceanum effundentem. Lacus omnium celeberrimus *Csukuito* audit, cujus circuitus ſexaginta milliaria complectitur, anatum magis, quam piſcium ferax. Vulgus a malo dæmone eundem poſſideri credit, quod nemo ad hunc uſque diem impune illic navigaverit; tametſi animos, atque audaciam adderet ingens auri vis, quæ ſimulacro Solis dicata ab antiquis regibus, & proceribus in quadam ejus inſula putatur recondita. Ex eodem hoc lacu oritur fluvius regni totius ampliſſimus, qui tamen paulo poſt oculis ſubducitur, nec, an uspiam in lucem denuo emergat, hodiedum eſt compertum. In ipſo lacus margine, ubi aquæ in flumen abire incipiunt, pons eſt miri artificii, & firmitatis, conſtans paluſtri arundine, cimbulisque

ex eadem materie concinnatis inſiſtens. Pars regni æquior, & alpibus deſtituta, ſilvis eſt inſeſſa denſiſſimis, in quarum plerasque nemo adhuc penetravit mortalium. Extrema ſoli fere incolunt barbari, qui ad prædia Hiſpanorum adſita nonnunquam mercaturæ cauſa egreſſi ſimias, & pſittacos permutant ſpeculis, nolis, aliisque hujusmodi mercibus. In locis, quæ Hiſpani habitant, duo potiſſimum vigent linguarum genera, alterum *Quicsoa*, alterum *Aimara* vocant. Uſus prioris a Quito ad Chili uſque pertinet, quo nempe regum antiquorum imperium extendebatur: alterum arctioribus inclusum limitibus Hiſpani ab Indis mulieribus cum ipſo pene lacte hauriunt.

Ceterum incredibilis tota fere Peruvia eſt lignorum penuria, quod alpes nullas ferant arbores, nec ſilvæ, niſi circa S. Crucis urbem, ſeſe prodere incipiant, quingentis ſcilicet a Lima leucis. Sed neque li-

than-

thantraces alendo igni opportunos facile deprehendas. Quare excrementa equorum, vaccarum, cumprimis autem ovium ad focos deſerviunt. Qui per ſaltus hoſce ſuſcipere itinera coguntur, ad ardua quæque perferenda animum obfirment, eſt neceſſe. Nuspiam orbe toto plura, nuspiam pauciora diverſoria: tugurium quodlibet hoſpitium præbet viatori; at ubi nihil vel reperias, vel obtineas. Tametſi enim rebus ad prandium, cœnamve adparandam neceſſariis Indus fortaſſe non careat, cuncta tamen ſibi deeſſe pejerabit, quod expertus ſit, ea ſæpe vi & fuſte, citra ullum pretium, a peregrinantibus extorqueri. Poſtquam faciendo itinere dies abſumta eſt tota, ſub veſperam divertitur, feſſumque viatorem prima, eaque moleſtiſſima excipit cura, explicandi tentoria, conquirendi animalium ſtercora, igni excitando idonea, ſupellectilem expediendi, cœnam adparandi, lectum

in ſolo nudo, nec raro nivibus, ac gelu rigente, inſternendi: mane rurſus omnia componendi, & iter tædii pleniſſimum proſequendi. Quidſi in mentem mulioni veniat, in alpium cacumine, ubi frigore obrigeſcas, biduo vel triduo conquieſcere, ſive propter paſturam inſtaurando pecori opportunam; ſive quia mulus noctu deerravit? tunc enimvero ferrea ſis, oportet, patientia.

Has tamen moleſtias illud nonnihil lenit, quod nullos habeas vel fures, vel latrones pertimeſcendos. Paſſim regno toto pererrant mercatores cum ciſtis, quas e vaccarum pelle conſuunt, & quibus non parvam pecuniæ vim incluſam habent, quin auditum aliquando ſit, eosdem a quoquam fuiſſe violatos. Sæpe concreduntur mulionibus merces pretioſiſſimæ, ſæpe ingens auri, argentique vis ad remotas urbes deportanda, ea cum ſecuritate, cujus exemplum nuſ-

piam

piam gentium reperias: quod quidem hoc mirandum magis, quod in exigendis poenis judices ſint æquo benigniores, nec ulli milites tutandis itineribus deſtinati. Tametſi autem curſores publici more Europæo etiam in Peruvia ſint inſtituti, ſi tamen opus ſit celeritate, malis Indo quopiam ſponte operam offerente, quam publico id genus curſore, uti. Hic enim granis aliquot tritici Turcici (*a*) proviſus ingreditur iter non tritum illud, ac devium, ſed per aſpreta, & alpium abrupta cacumina more caprearum recta contendit ad terminum, quin ſomno, vel quieti, niſi paululum conſidens, indulgeat. Credi vix poteſt, quanta cum celeritate hi tabelliones centum, & amplius leucas percurrant, reſponſaque accurate referant. Citius olim quaquaverſus perferebantur Incarum juſſa non literis, quas gens ignorabat, ſed filis laneis variorum colorum

(*a*) *Zea Mays* Linn.

miro artificio, & nodorum textu expreſſa, quo ipſo monumenti genere etiam hiſtoriæ, atque annales conſignabantur; ſed hujus exempla Hiſpanorum indiligentia nobis invidit. (*a*)

Nondum tamen conſumſit vetuſtas omnia antiquitatis monumenta. In Urbe Cuſco, ubi veterum Incarum erat collocata regia, viſitur fanum olim Soli dedicatum, hodie familiæ divi Franciſci templum, tametſi magna ſui parte diminutum. Viſuntur rudera arcis veteris, quæ licet ad leges artis exacta non ſint, enormes tamen, nec ullo devinctos mortario, oſtentant lapides, qui juſtam ſpectantibus moveant admirationem. Quis enim ſatis explicet molitionem, qua

(*a*) Textus nodorum hujusmodi *Quipos* adpellabatur. Genus hoc ſcripturæ inter Indos ſuo adhuc tempore viguiſſe ait P. Acoſta L. VI. c. 8., & viros ætate jam provecta, cum doctrina Chriſtiana imbui cœpiſſent, preces conſuetas ope filorum varie coloratorum, ac nodis intertextorum memoriæ mandaviſſe.

qua ſaxa illa prægrandia ſine inſtrumentis ferreis, quibus Peruanos veteres caruïſſe certum eſt, tam affabre elaborata, in quadrum efficta, ac ita perpolita ſunt, ut lapis lapidi non tam incumbere, quam accreviſſe videatur? (a) Quis divinet artificium, quo pondera tam immania, quibus vel in plano movendis vires quingentorum hominum

---

(a) P. Acoſta L. cit. c. 14. varia percenſet Incarum palatia, miraturque enormem lapidum molem, & ſtructuram absque mortario. Urbis Cuſco ædificia deſcribit Garcilaſſo de la Vega Lib. III. c. 1. & L. VI. c. 1. & ſeqq. E recentioribus vero Bouguer in ſuo Itiner. p. 148., & Condamine in Hiſtoire de l'Acad. de Berlin 1746. p. 435., qui a noſtro in eo diſſentiunt, quod dicant ſaxa illa enormia non arte quadrata, ſed forma eſſe irregulari, ac proinde veterum horum architectorum induſtriam in hoc potiſſimum elucere, quod ea inter ſe tam apte connectere noverint. Quare Autor noſter, qui rudera iſta in tranſitu celeri oculo luſtravit, facile induci in errorem potuit. Ceterum ex his adparet ea in arte veteres Mexicanos Peruanis fuiſſe ſuperiores: nam illi vaſtiſſimos illos lapides, e quibus templum princeps Mexici, & palatium conſtructum fuit, perfecte quadrarunt.

vix ſufficerent, ad montem præaltum evecta, & concinno ordine fuere collocata? Exſtant præterea, cumprimis qua Oruro Tahmam iter eſt, editis in locis ſepulcra antiquiſſima, e laterculis ſole induratis ſtructa, qui luto commiſſi tanta cohærent tenacitate, ut neque tot annorum nives, neque effuſi imbres, neque ventorum furentium vis opus tecto omni deſtitutum abolere hodiedum potuerit. Sepulcra hæc vetuſtiſſima formam habent parallelepipedi, ſuperne in fornicis modum rotundati. In horum compluribus reperta ſunt vaſa, & idola aurea; in quibusdam ollæ potu Cſicsa repletæ, quæ admodum ſuavis, & vel poſt duorum ſeculorum decurſum palato jucunda eſt deprehenſa. Duplex illa via regum impendio complanata, quæ Cuſco ad regnum uſque Quitenſe, ſpatio aliquot centenarum leucarum, altera per alpium latera, & vertices tendebatur, altera per anfractus val-

lium,

lium, & per ipſa montium viſcera traducebatur, antiquitate penitus jam abolita in ſolis perennat literarum monumentis.

Peruanæ auri, argentique venæ habentur toto fortaſſis orbe ditiſſimæ: nihil certe argento Potoſino copioſius, quod pluribus jam ſeculis mons unicus, in coni formam adſurgens, ſuppeditat. Quintam eruti metalli partem ex pactis conventis quisque foſſorum ærario regio adnumerat. Venarum divitias vel inde æſtimes, quod inventi inter metallurgos fuerint, apud quos quinta ejusmodi pars regi depenſa ad decem, aut viginti florenorum milliones adſurrexerit. (*a*) At

(*a*) Videtur iſtud dici paulo exaggeratius. J. G. Schneider in Adnotationibus ad opus Ulloæ ſupra commemoratum oſtendit autorum recentiorum teſtimoniis ſummam univerſam, quæ ex omnibus Peruanis argenti fodinis extrahi ſolet, quot annis æſtimari ad triginta Peſorum milliones, hoc eſt, circiter ad 66, 825000. fl. unde pars quinta regis adſurgit ad 13, 365000. Potoſinæ argenti fodinæ multum deſciverunt

ſunt montes alii longe majores daturi opes; ſi a rerum peritis explorarentur, & foſſio ipſa ex artis legibus adminiſtraretur: ſane vel illæ, quæ jam apertæ ſunt, cavernæ multo ampliores redderent divitias, ſi metallurgia ad noſtratem normam exigeretur. Vidit Autor, inter metallorum foſſores natus, & educatus, complures auro vel argento fœtas idcirco duntaxat fuiſſe derelictas, quod operæ erumpentem aquæ rivulum derivare, aut machinis exhaurire neſcirent. Ferunt machinatorem Gallum, in has oras delatum, operam emendandæ rei metallurgicæ addixiſſe, iuſtrumentaque neceſſaria apud artifices conſtituiſſe; verum partim ignorantia, partim infinita eorum cunctatione in deſperationem actum ſclopeto ſibi ipſi vitam ademiſſe.

a prima illa ſua gloria. Cum anno 1545. primum detectæ fuerunt, e centenario mineræ libræ argenti 50. ſeu marcæ 100. rediere: hodie ſi 50. mineræ centenariis 4. marcæ, ſeu 2. libræ reſpondeant, vena dives eſſe cenſetur. Ita Ulloa lib. cit. Tom. II. p. 40.

emiſſe. Singulare eſt, quod de monte *Illimani*, urbi *Paz* adjacente, accolæ commemorant. Excuſſum e nube fulmen prægrande avulſit ſaxum, inque lacum ſubjectum præcipitavit; nives item ſolutas in ſubitum torrentem vertit, qui per mediam urbem plurima auri fragmenta devolvit: latus vero montis fulmine ſauciatum vim ejusdem ingentem fulgore ſuo prodidit. Quærenti Autori noſtro, cur monti tantopere diviti nulla adhiberetur cultura, reſponſum eſt redditum, permoleſtam eſſe ejusdem altitudinem, nimiamque frigoris acerbitatem.

Hodie fodinæ omnium opulentiſſimæ ſunt ad *Punioruro*, cumprimis autem ad *Guantahaja* prope urbem Aricam, ſed quæ tanta laborat aquæ penuria, ut ea vel in ipſos operarum uſus ſpatio viginti milliarium ſit petenda. Fertur illic erutum fuiſſe argenti puriſſimi fruſtum tam grande, ut nemo mulionum potuerit illud vel Aricam usque deportare,

tare,

tare, ſed navi fuerit avehendum. Certe ſatis conſtat, e minera, centenarium pondus adpendente, paſſim educi nonaginta puri argenti libras. Sed & mercurius copia maxima eruitur in *Guancavelica*, leucis quinquaginta Lima diſtante. Neque deſunt fluvii, qui aurum, non illud in pulveres comminutum, ſed fragmenta, complures uncias adpendentia, ſecum devehant, quos inter olim erat ille celeberrimus, qui ad *Choquecamatam* decurrit. Cum Autor urbem Oruro pertranſiret, Hiſpani quatuor, ceteris ſagaciores, fluvium duarum leucarum ſpatio e veteri alveo derivaverunt, in quo auri puriſſimi plurium librarum fruſta collegerunt.

Duas habet Peruvia æri ſignando deſtinatas officinas, alteram Limæ, alteram Potoſii. Moneta principio ita cudebatur, ut informis potius auri, argentive maſſa ex merito adpellanda fuerit: hodie numeris omnibus abſoluta cuditur, ea-

que

que argentea duntaxat, ſine ulla metalli alterius admiſtione. Quæ minimi eſt moduli, duos exæquat noſtrates groſſos, ut adeo mendico ſtipem petenti dare minus nequeas. Cupri ſignati uſus ex Hiſpania in Americam nondum tranſiit.

Ex his, quæ de copia metallorum nobiliorum dicta ſunt, ſatis elucet, non eſſe aliena a veritate, quæ de veterum Incarum opibus literarum monumentis conſignata legimus. Hortum habuere prægrandem palatio adſitum, in quo plantæ omnes, & animalia, quæ vel eodem adduci non potuerant, vel cœli naturam non ferebant, ex auro puriſſimo efficta viſebantur, unde facilis eſt conjectura ad interiorem ipſius regiæ ornatum, atque ſupellectilem. Cum regi filius, imperii hæres, naſcebatur, ad celebrandum natalem proceres omnes, ſe non multo inferiores, convocabat, qui die celebritati dicata forum ampliſſimum ingreſſi, corona illud undique

cinge-

cingebant denſiſſima, catenam auream per fori circuitum excurrentem ſuſtentantes, quam choreis expletis nato principi dono offerebant. Sed opes has metu, ac odio Hiſpanorum regionem invadentium terræ maxima ex parte infoderunt.

CAPUT III.

De nonnullis Animalibus, Fructibus, & forma Regiminis.

Animalia, quæ Peruvia uſibus vitæ humanæ progenerat, paucis perſtringemus. Oves (*a*) hinnuli habent magnitudinem, collum oblongum, cervicem arrectam, lanam denſam, ſemipedem longam, & molliſſimam, quæ ſellam ita ſuppleat, ut hæc animantia pondus centenarium tergo impoſitum paſſim deferant. Vectores hi ſuapte natura lentiſſimi,

(*a*) *Camelus Glama* Linn.

ſimi, & gradarii, ſi oneris tædio ſeſe proſternant, nulla unquam adſurgent incitatione, niſi leventur ſarcinarum pondere. Cum exaſperantur, rectorem fœde conſpuunt, nec ſine noxa. Cauda huic generi, quemadmodum cervis, ſolet eſſe perbrevis. Excrementa non egerunt promiſcue, ſed ſtatis, ac veluti deſtinatis locis, ut adeo ſole ſiccata opera facillima colligi, & ſaccis hunc in finem paratis indi poſſint. Eſt præterea aliud ovium genus ejusdem formæ, & magnitudinis, ſed tuber quoddam, ſeu gibbum in dorſo prominentem gerens, ac proinde vectandis oneribus minime idoneum (*a*). Genus hoc *Allpaka* dictum delectatur frigore, ac nivibus, veſciturque gramine. Lanam alit & longiorem, & molliorem. Eodem cenſentur genere *Bicunia* (*b*) & *Guanako*

(*a*) *Camelus Paco* Linn.

(*b*) *Camelus Vicugna* Linn.

nako (*a*) oves nimirum in altiſſimis alpibus, & gelidis ſaltibus incolentes, quarum venationi, propter lanam ceteris omnibus præſtantiorem, Indi plurimum ſunt intenti: captæ facillimo opere cicurantur. (*b*) Neque deſunt aſini noſtratibus dimidio excelſiores, quorum ingens ubique uſus, & par ſuppetit copia.

Muli fere e Paraquaria quotannis petuntur, depacto in ſingulos pretio florenorum triginta quatuor, qui pondere librarum quadringentarum & quinquaginta onerati Piura Limam, & hinc rurſus Piuram, ſpatium ducentorum milliarium, per ardentem arenam non tam gradiendo, quam currendo emetiuntur. Equorum ſicuti uſus, ita copia longe minor eſt. Præſtantiores e Chilenſi regno leguntur, qui Europæis omni

ex

(*a*) *Camelus Huanacus* Linn.

(*b*) Vid. Molina Verſuch einer Naturgeſchichte von Chili pag. 275. & ſequ.

ex parte antecellunt. Sunt qui *Aquililios* vocantur, & horæ quadrante leucam conficiunt non currendo, ſed conſueto greſſu, eoque tam quieto, ut putes te lectica invehi. Genus hoc nullis unquam poteſt calcarium, aut flagelli ſtimulis ad currendum incitari, nec efficies, ut de conſueto gradiendi modo quidquam demutet. Alii curſione damas, & ſtruthiones antevertunt. Sunt, quibus octiduo feras perſequi poſſis, quin potum, cibum, & quietem depoſcant, niſi horis nocturnis. (*a*) Equis, mulis, & cornu-

(*a*) Hoc ipſum tradunt Molina de Chilenſibus, & Dobrizhofer de Paraquarienſibus equis: ut adeo genus equorum ex Hiſpania traductum in America meridionali non modo non degeneraverit, ſed majorem etiam adeptum ſit perfectionem. Ulloa in ſuo Itinerario de Chilenſibus hunc in modum loquitur: „ Quotquot hodie Americam equi incolunt, Hiſpa- „ næ ſunt originis, qui in Chilenſi regno alium, „ eumque ſeſſoribus longe commodiorem adſumſere „ gradiendi modum, ita ut non ceteros modo Ame- „ rica-

cornuto pecore cumprimis abundat Paraquaria; atque iſta potiſſimum ſunt toties decantata ejus regionis metalla, quorum venas qui hactenus quæſiverunt, oleum, & operam perdiderunt, ac ſane deinceps etiam perdituri ſunt.

Piſcium infinita quædam copia, & varietas adfertur Limam e mari pacifico: at partes regni interiores maxima eorum laborant penuria; ſive quod fluminum rapiditas, & ſaxa cum fluctibus devoluta piſcatum impediant; ſive quod aquas metallorum exſpirationibus plerumque infectas hoc genus ſuapte refugiat. Ferarum venatura admodum operoſa eſt: niſi enim per alpium apices, & loca abrupta oberres, nihil quidquam

„ ricanos, ſed ipſos etiam Hiſpanos multum antecel- „ lant". Illud quidem certe eſt peculiare, quod alii currendi velocitate, alii greſſu tolutario facili, mollique præſtent, dotes autem hæ utrius generis, per equorum familias veluti diſtributæ ad poſteros hæreditate transmittantur.

quam prehendes. Cervorum greges paſſim occurrentes nullo habentur in pretio. *Biſcacsa* (*a*) animal lepori non abſimile ſapore admodum exquiſito, at captu difficile eſt, quod lethali etiam vulnere ſauciatum in cavernas, nulla penetrandas arte, ſeſe recondat. (*b*) Triplex offert Peruvia perdicum genus: primum noſtratibus minus, at ſapore longe delicatius. Alterum vulgaribus noſtris æquale, ſed palato minus arridens. Tertium gallos æquat magnitudine, ac nive cadente verſus ſaxum quoddam prægrande cumulatim fertur, ubi tanquam oculis captum, & immemor periculi, tamdiu ſaltitat, aut circumvolitat, dum a venatore Indo magna ſtrage interimatur, qui hac in præda ſolo fuſtis eget miniſterio; alia venandi genera funda admi-

 niſtrat.

(*a*) *Lepus Viſcaccica.*

(*b*) Vid. Molina Lib. cit. pag. 272., & Linn. Syſt. Nat. edit. XIII.

niſtrat. Ceterum Peruani omnia fere carnium genera faſtidiunt præter gallinam, & vervecem, cujus caro ſicut in Hiſpania, ita hic omnia fere genera longe antecellit.

Fructus, quos regio educat, non varietate modo, ſed etiam ſapore, ac ſuavitate ſeſe mire commendant. Plerorumque opinione princeps fructus *Chirimoia* habetur. (*a*) In arbore ſatis procera creſcit forma rotundā, peponis magnitudine, cortice tenui, ac fœdum in modum viridi, manu in partes facile diſcerpenda. Exemtis nucleis, qui quatuor, aut quinque amygdali mole ineſſe ſolent, pulpa cochleari editur, ſapore acido, ac dulci ſic temperatis, ut nihil uſquam ſit, quod magis ad palatum eſſe

(*a*) Fructus *Annonæ Cherimoya* Miller Garden Dictionary. Qui ad Orinocco in arboribus ſponte naſcentibus creſcit, teſte Gilijo inſuavis eſt, & ſaporis nauſeam provocantis. Unde adparet, quanta ſit in cultura vis.

eſſe poſſit. Non inficete ajebat quidam, fructum hunc moribundis Europæis eſſe propinandum, ut, deguſtata ejusdem ſuavitate, paradiſi deſiderium in eorum animis acuatur. Pari ſapore allicit edentes Palta, procera in arbore (*a*) inſtar cucurbitæ procreata, oſculo in ovi modum protuberante. Medulla ſubflava ſale pauxillo inſperſa cochleari eximitur, quæ principio ab Europæis deſpici ſolet; at, cum importuna indigenarum invitatione deguſtare cœperint, damnant ſiniſtrum, atque ex colore depromtum judicium. (*b*) His accedit *Ananas*, (*c*) at quanto noſtrate excellentior! poma granata humani capitis magnitudine, citrina item & aurea, ceterique fructus, quibus propter cœli beneficium Lima nunquam deſtituitur.

 Quid

(*a*) *Laurus Perſea* Linn.

(*b*) Vid. Jacquin in obſervat. Botan. T. I. pag. 37.

(*c*) *Bromelia Ananas* Linn.

Quid dicam de cannetis ſacchari, quod vel in prædiis Limæ adſitis maxima copia conficitur? Vidit Autor villam, quæ una quinque centenariorum millia urbi quotannis ſuppeditabat. Omnis autem hæc immenſa procreatio, quæ in Europa uſibus integræ provinciæ abunde ſufficeret, fere Limæ conſumitur. Hoc condimenti genere redundant cibi omnes, & bellaria. Multos profecto reperias, præſertim mulieres, quæ toto vitæ decurſu ſolis veſcuntur bellariis, unde exiſtit languor ille ventriculi, & pallida facies, quam ſexus iſte dedita opera conſectatur; ruborem autem, tanquam ebrietatis indicium, averſatur. Quem in finem multæ, stomacho adhuc inani, vaſcula aceti exhauriunt; quædam alia adhibent medicamenta valetudini haud parum inimica: tanta eſt apud Limanos, in hoc præſertim ſexu, palloris exiſtimatio. Cibi ex carnibus adparati tunc habentur delicatiſſimi, ſi

fru-

ſruſtula minutatim conciſa Turcico, ut vocant, pipere, palatum vehementer urente, probe onerentur, quæ ſemotis fuſcinis, & cochleari, digitis invadunt, miſcent, depſunt, in maſſam ſubigunt, atque ori ingerunt, quod putent uſu fuſcinarum, & cochlearium de ciborum ſapore multum deperdi. Quare in menſis etiam lautioribus hæc edendi inſtrumenta parce ſolent adponi, culter autem vix unquam, cum omnia jam deartuata, & comminuta inferantur.

Indi fere veſcuntur *Papa*, ſeu pomis terreſtribus, quæ aeri per noctem expoſita congelaſcere ſinunt, & ad futuros uſus recondunt. (*a*) Interdum toſtis aliquot tritici Turcici granis famem exſatiant: nonnunquam ovis mortua inopinatum, & lautiſſimum ſuppeditat prandium. Mirum in modum delectantur potionibus ebrietatem provocantibus, illa cumprimis, quam e Turci-

(*a*) *Solanum tuberoſum* Linn.

co confectam tritico *Cſicsam* vocant, cujus adparationem deſcribemus in ſequentibus. Uſus vini ante annos non multos fere penes ſolos Hiſpanos fuit: hodie tamen etiam ad Indos tranſiit, qui dulci duntaxat, & odoro delectantur, quem in finem illud ſæpe condimentis ingeſtis palato aptant. Vinum in paucis generoſum Chile ſubmittit. Cſicsa, de qua diximus, more cereviſiæ adſervari, & in pagis, ac oppidis venum proſtare ſolet. Tuguria Indorum, quæ *Puna* vocant, in locis etiam frigidiſſimis non aliis conſtant parietinis, quam maceria, ſeu temere aggeſtis, nec ullo mortario commiſſis lapidibus: tectum obvia gramina ſuppeditant. Longitudo, & latitudo vix quatuor exæquat ulnas. Magna eſt apud gentem rerum divinarum ignoratio, magna in avitis ſuperſtitionibus pertinacia. Autor idola non pauca ſuo in itinere barbaris ademit: alias in publicos eorundem ſaltatus caſu fortuito

inci-

incidit, ubi corona cingebant virum, ſimulacrum quoddam manu elata oſtentantem.

Peruvia omnis, de qua generatim quædam hactenus delibavimus, a Prætore (Proregem vocant) adminiſtratur, cujus jurisdictio Chilen etiam, Tucumaniam, & Paraquariam univerſam complectitur. Limæ fixit domicilium, gaudetque cenſu ultra centum ſexaginta florenorum millia adſurgente. Quinquennio quolibet novus ex Hiſpania ſufficitur: quanquam nonnullis etiam ad decem, aut quindecim annos prorogatum imperium fuerit. Quanti magiſtratus iſte apud Peruanos fiat, vel inde conjicias, quod uni cuidam recens ex Hiſpania adpulſo plateas urbis argenteis inſtraverint laterculis. Credi vix poteſt, quantas opes Gubernatores hi non raro corraſerint. Cum Autor in Europam reverſurus Limam pertransiret, Prætor quinquaginta auri libras impendit in menſæ adparatum. Sed & Archi-

epiſcopus, totius Americæ meridionalis Primas, ſemper ex Hiſpania mittitur, cujus fundi ſua amplitudine non cedunt Ungariæ. Tribunal Prætoris ſex conſtat adminiſtris, quos *oidores*, ſeu auditores vocant, qui pares pene opes, & maximam habent autoritatem. Bina auditorum ſunt collegia, alterum Limæ, alterum Chuquiſacæ, quod poſterius propter abſentiam Gubernatoris longe majori pollet autoritate. Tanta eſt plebis erga viros hosce veneratio, ut exeuntes ubique aſſectetur, ac pene adoret. Acute dicebat matrona illuſtris, daturam ſe apud Regem operam, ut ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento auditoris titulus, & dignitas conferatur, ut habeat ſcilicet, quum ad moribundos defertur, frequentem, ac ſplendidum comitatum.

Proventus quoque ceterorum Præſulum, & Præfectorum fidem prope ſuperant. At viciſſim rerum vel obviarum pretia ſic ſunt

ex-

exaggerata, ut malit Noſter in Germania centum, quam in Peruvia mille florenis vitam agere. Quid enim, ſi panni ulnam, quam illic binis florenis emas, hic vix duodenis extorqueas? ſi peponem illic uno alterove emendum crucigero, hic ſeptem aut octo groſſis cogaris redimere? ſi florum faſciculum illic numo venalem, hic decem groſſis merceris? Quid ſi concupiſcas quidpiam ex iis crepundiis, quæ Auguſtæ, Viennæ, Londini, Pariſiis tanto numero, & varietate adparantur, pyxidem, cultellum, microſcopium ſimplex, & id genus alia, quæ in illis urbibus quinque aut ſex veneunt groſſis, Limæ totidem florenis vix compares? Duo Patris la Croix volumina ſolvit Autor noſter florenis octuaginta: vidit ſpeculum tres ſpithamas altum quadringentis, horologium penſile mille veniiſſe florenis. Sed ſatis de Peruvia generatim dictum eſt: nunc ad provinciam Moxos accedamus.

LIBER SECUNDUS

DE INDOLE REGIONIS, QUAM MOXITÆ INCOLUNT, ET PECULIARIBUS REGNI VEGETABILIS PROCREATIONIBUS.

CAPUT I.

De naturali Provinciæ conſtitutione.

Ampliſſima hæc provincia, quam Autor noſter annis quindecim incoluit, ſita eſt in regni Peruani finibus; orientem verſus procurrens in tractus Braſiliæ nondum cognitos, ad Auſtrum *Mattogroſſò* Luſitanorum colonia, ad Aquilonem ſaltibus Quitenſium etiamnum incultis definitur. Coloniæ, ſeu ut jam vocant, Miſſiones harum terrarum una & viginti numerantur, communique vocabulo *Moxos* vocantur, fortaſſis a prima, quæ ad religionem traducta fuit, barbarorum tribu, quemadmodum Paraquari-

çæ

cæ generatim *Quaranies*, Quitenſes vero *Mainas* audiunt. (*a*) Hodie in tres veluti regiones tribuuntur, quarum uni *Mamore* a fluvio, alteri *Pampas* ſeu campeſtris, tertiæ *Baures* inditum eſt nomen. Provincia omnis planiſſima eſt, &, ſi fluminum demas alveos, unum item alterumve apud Baures collem, lapide penitus deſtituta. Partem maximam campi obtinent pinguiſſimi, inſperſi ſilvis ad paucas leucas in circulum excurrentibus, quas gens inſulas vocat, ſive quod in illo camporum mari imaginem quamdam inſularum referant; ſive quia campis ipſis editiores tempore eluvionum ultra aquas eminent, tutumque animalibus omnibus perfugium præbent. Nec tamen deſunt ſilvæ etiam vaſtiſſimæ, quarum fines

(*a*) Nomen hoc proprie colonias flumini Amazonum adjacentes denotat: tribuitur tamen univerſe etiam Quitenſibus, a quibus coloniæ illæ dependent.

ſines hodiedum ignorantur, & in quas nulla unquam ingreſſa fuit ſecuris.

Tenditur hic terrarum tractus ſub Auſtrali zona torrida ad tres latitudinis gradus, tertium ſcilicet, quartum, & quintum ſupra decimum, unde facili conjectura adſequi lector poteſt, quantis caloribus exæſtuent omnia in planitie, a nivoſis alpibus tantopere ſemota: certe niſi videas, homines illic habitare vix credas, cum ſolis ardor ne in deſertis quidem Africæ arenis fingi poſſit vehementior. Hinc inſanitas illa, & continuus diu, noctuque languor, ac ſudor, ſacrorum præſertim curionum valetudini adeo infeſtus, ut nullus prope ſit, qui non quotidie aliqua corporis ægritudine, ſæpe etiam graviore morbo divexetur. Indi a teneris cœlo adſuefacti parum a tantis caloribus patiuntur, ſub ardente ſole dies integros nudis capitibus labori vacant, nocturnis duntaxat horis caput muniunt. Caloris vehemen-

men-

nientiam vel inde metiaris, quod carnes animalium, tametſi probe ſiccatæ, & aceto fortiſſimo imbutæ, poſt paulo vermibus undique ſcateant. Cum ſale bene maceratæ adpenduntur, ac fumo herbarum odorarum jugiter imbuuntur, crebro videbis vermes præpingues ex iisdem in focum veluti depluere. Si ante ſolis exortum vacca occidatur, ſæpe, tametſi caute adſervata, vermibus exuberat a meridie, ac fœtore ſuo nares offendit. Quando in lacunis, fluviisque minoribus aquæ reſidunt, piſces roſtra turmatim extra eas exerunt quæſituri aerem gelidiorem, quem cum non reperiant, paſſim emoriuntur, & fœda cadaverum exſpiratione late omnia complent. Menſibus Julio, Auguſto, & Septembri exauget hos calores camporum incendium, ac flamma tepido fumo regionem omnem involvens, quæ tamen ſilvas, utpote jugiter virentes, aut omnino præterit, aut in extremo duntaxat

mar-

margine nonnihil adedit. Raro tamen abeſt interdiu ventus a ſeptemtrione adſpirans, qui æſtum, ac ſudorem temperet: at poſt occaſum ſolis redditur aeri malacia, ut adeo noctes plerumque diebus æſtuoſiores, quietique magis inimicæ ſint. Quare Indi more anſerum quovis momento in fluvium proximum deſiliunt, languoris ſolatium in tepidis aquis quæſituri.

Calori par aeris reſpondet udor, unde morborum examina, quibus indigenæ, præſertim vero curiones advenæ, fere continenter divexantur. Erat, qui annis tredecim febri continua excruciaretur. Indidem exiſtit innumerabilis ille inſectorum exercitus, de quo alibi recurret ſermo. Indidem & illud, quod carnes pecorum in tanta paſcuorum lætiſſimorum ubertate, utut pinguiſſimæ, fere tamen inſipidæ, ſuccoque nutrimen ſuppeditante deſtitutæ ſint. Hinc inſaturabilis illa Indorum edacitas, cum ſci-

licet

licet juſta portione ingluviem exſatiare, & vires inſtaurare nequeant. Jus ipſum, in quo carnes decoquuntur, a tepida aqua vix diſcernas. Quot erunt emulgendæ vaccæ, ut tantillum, eumque inſipidum, & aridum caſeum conficias? quem tamen ipſum continuo abſumas, oportet, ne putreſcat, & a vermibus nocte unica devoretur, aut certe ſaxi inſtar indureſcat. Eadem de cauſa gallinæ, ac earum ova, perdices item, cervi, damæ, & apri adeo ſunt inſvaves, ut non facile reperias ſacerdotem exterum, qui bis deguſtaverit.

Arbores in ſilvis denſe conſtipantur, ramisque tam arcte mutuo ſeſe amplectuntur, ut canis feram perſequens crebro illaqueetur: cervus quidem certe ſalutem in ſilva quærens venatori ſemper in prædam cedit, ſpiculis undique prominentibus, atque effugium intercipientibus. Si partem ejus aliquam ſecuri dejeciſti, atque etiam

exuſſiſti, poſt annum ita recreviſſe deprehendes, ut locum eundem eſſe vix oculis credas. Hinc labor ille improbus, & continuus, qui perpetuo exercet Indos in coloniæ ſuæ pomeriis, in ipſo adeo foro & plateis, ne ſilveſcant omnia: qua ipſa de cauſa in colendis radicibus, & leguminibus coguntur eſſe parciores, quod ſcilicet maximam induſtriæ partem ſtirpium ſuccreſcentium eradicatio in hortis & agris ſibi vendicet. Supellex omnis domeſtica, lecti, menſæ, ſcrinia e tabulis craſſioribus coaſſata, licet radiis ſolaribus nunquam pateant, tamen æſtate intorquentur, & rumpuntur. Terra ipſa ſic finditur, ut hominem capere hiatus poſſint. Aves, ceteraque animalia inter nonam & tertiam diei horam ſub umbra deliteſcunt.

Ventorum duo potiſſimum genera ſolent regionem perflare, Aquilo nimirum, & Auſter. Ille animantibus æque, ac plan-

tis

tis ſalubris fere a Martio usque ad Octobrem regnat, quanquam inter Martium & Auguſtum cum Auſtro alternare ſoleat. Mirabilis Dei in eo elucet providentia, quod venti hi tunc adſpirent vehementius, cum annus aquis abundavit, ne ſcilicet reliquiis præteritæ hiemis adhuc reſtagnantibus novæ pluviæ ſuperveniant, omnemque regionem lacunis perennibus obruant. Auſter aquis admodum inimicus paludes ſiccat, & imbribus graſſantibus finem imponit. Poſtquam diebus compluribus Aquilo campum obtinuit, incipiunt veſperi meridiem verſus oſtendere ſe ſe nubeculæ minores, quæ ſenſim adglomeratæ crebris coruſcationibus Auſtrum denunciant. Poſt triduum Aquilo conticeſcit, eſtque dies ille omnium moleſtiſſimus: nam cœlum undique obducitur nubibus, quæ curſu velociſſimo ad meridiem feruntur, in telluris tamen ſuperficie ne folia quidem commoventur; ac licet ſol penitus contectus

ſit, tantus nihilominus exiſtit calor, ut oſſa ipſa ſudore diffluere videantur. Nocte ingruente ceſſat nubium curſus, ac inſecta maxima undique copia pervolitant: poſt paulo Auſtralis plaga late coruſcare incipit, & remota tonitrua per vices exaudiri. Circa mediam noctem Auſter cum tanta erumpit vehementia, ut terram ab imis viſceribus non ſine immani tectorum, arborumque ſtrage ſuccuti credas. Primis quatuor & viginti horis plerumque effundit imbrem, die vero inſequente pluviam roris inſtar tenuiſſimam: deinceps redditur aeri ſerenum.

Interdum perdurat Auſter diebus quindecim, ſic tamen, ut non raro intermittat, & Indorum proverbio veluti dormiat. Sin autem ante noctis medium erumpit, fere paucas intra horas deſævit, & conticeſcit. Plurimum valet menſibus Martio, Aprili, & Majo; tribus inſequentibus neque tam vehemens, neque tam diuturnus eſſe conſuevit. In ejusdem indole

illud

illud eſt univerſe animadverſum, nihil obeſſe valetudini, ſi cum pluvia multa ingruat: at ubi ſiccus adſpiraverit, plurimum nocere ſanitati, eum tantopere demutet aeris temperationem, cui incolarum corpora adſueverunt. Nimirum humores ex aere ſubito detergit, frigusque adducit notabile, quo cum ſpiracula corporum ſudore diffluentium repente occludantur, neceſſe eſt complures oriri morbos, cumprimis autem capitis dolores, inſomnia, & alvi obſtructiones. Frigore hoc repentino factum eſt, ut oleum congelaret in conclavi, neque intra diem ſolveretur, crocodili in lacunis enecarentur, aves quodam modo obrigeſcerent, amiſſoque alarum uſu paſſim interirent; & tamen meridiem verſus, unde ventus iſte oritur, nullæ occurrunt alpes nivibus contectæ.

Indi frigoris hujus impatientes certatim ad fluvium ante auroram convolare ſolebant,

ac inter tripudia in aquas ſe ſe injiciebant; qui tamen mos valetudini plurimum infeſtus Patrum autoritate abrogatus eſt. Prope Mattogroſſo, Luſitanorum oppidum, complures Æthiopes ſubito hoc frigore perierunt: equi certe, vaccæ, ac jumenta cetera, ſi nocte in tellure diutius incubent, amiſſo nervorum uſu adſurgere nequeunt, ac, niſi foveantur igne, emoriuntur: ad hæc primo ingruente Auſtro pilos amittunt, cute ipſa quodam modo putreſcente; quare ſi alius Auſter paulo gelidior iis ſuperveniat, procul dubio enecantur. Menſibus Septembri & Octobri primos imbres comitantur fulgura, & tonitrua, quæ tamen fere ſine noxa, & brevi detonant, unde nullus eorum apud Indos metus. Sed nec terræ motui eſt ſubjecta regio. Qui Peruanis alpibus erant viciniores, levem duntaxat ſenſerunt nocte illa commotionem, qua tota fere Lima conſepulta eſt.

Bar-

Barbari antequam a Patribus ad religionem, & humanitatem informarentur, menſes, atque anni tempeſtates a pluviis, & ſiccitate deſumebant, menſes ſcilicet, qui in Auſtrali terræ hemisphærio reapſe æſtivi ſunt, hiemi; ceteros æſtati adſignando. Pluviis initium plerumque October facit, qui menſe Novembri increſcentes tribus conſequentibus fere ſunt continui. Sub Martii medium Auſter iisdem, unaque hiemi finem imponit, & principium dat aridis, ſeu æſtivis menſibus, quibus tanta interdum eſt ſiccitas, ut ad Octobrem usque ne cum Auſtro quidem vel guttula decidat, id quod hominibus æque, ac jumentis, eorumque paſturæ vehementer inimicum eſt, maxime ſi, quod interdum accidit, æſtate tota nulla compareat nubecula, quæ ſolem vel unius horæ ſpatio eripiat. Nebulæ tamen, quod mireris, rariſſimæ; grando autem, pruina, & nubifragia ſpectacula inaudita

ſunt. Cœli facies vaporibus Auſtro diſſipatis miram offert oculis ſtellarum varietatem, & fulgorem apud nos prorſus inſuetum. E tanto conſtellationum numero unicam olim obſervabant barbari, cujus adſpectu tempora faciendæ ſementis definirent; pluribus tamen animalium ſuorum tigridis, crocodili, urſi &c. nomina indiderunt. De cauda ſtruthionis non illepidam commenti ſunt fabellam. Ajebant ſtruthionem fuga quondam de cœlo elabi voluiſſe, ut ſcilicet ingluviem ſuam in terra exſatiaret: cumque per foramen quoddam exequi propoſitum jam pararet, a quo neſcio animali caudam ejus correptam in cœlo remanſiſſe, indeque eveniſſe, ut hoc avium genus eadem hodiedum deſtituatur. De ſolis, lunæque defectibus ſententiam rogati reponebant, aſtra illa tunc ægrotare; & cum penitus obſcurabantur, plane emori. Alii ſuſtinebant lunam cum ſo-

le

le thalamo jungi, ut nova ſcilicet progenerent ſidera, quæ toties interire adſerebant, quoties ſtellas, ut vocamus, cadentes obſervabant. Hodie Curionum inſtitutione fabulas has inficetas ipſimet rident. Ros una poſt occaſum hora usque ad auroram, præſertim menſibus Aprili, Majo, & Junio humore ſic imbuit omnia, ut noctu pluviam effuſam fuiſſe putes.

Glebæ in tota provincia tanta eſt fertilitas, ut herbæ plurimum conſtipatæ ad ingentem excreſcant altitudinem, quæ niſi quotannis exurerentur, viam vel feris animantibus intercluderent. Igne admoto jucundum præbet ſpectaculum exercitus accipitrum ad campos hoſce ardentes certatim convolantium, quorum alii flammas antecedunt, alii ſequuntur, ut animalium corporibus communi hoc incendio hauſtis potiantur. Pars regionis feraciſſima eſt, quam Baures vocant: cum enim illic ſilvæ, in

quibus ſolis fieri ſementis poteſt, eminentiores ſint, nullum unquam accipiunt ab aquis detrimentum; glebam præterea habent plerumque nigram, tactuique blandam. Incolæ circa Auguſti finem incipiunt moliri terram ſeminationi proximæ deſtinatam, ac primum quidem arbuſtis repurgant locum; deinde arbores ipſas incidunt, nec tamen ex integro reſecant, ne ſcilicet earum prolapſione viam intercludant, ſed ſtantes etiamnum, & ad lapſum pronas vento relinquunt ſternendas, aut unam alteramve ipſi dejiciunt, quæ reliquas ſecum trahant in ruinam. Quanto ſteterit olim labore barbaris hoc molimen, facile eſt æſtimare, cum res omnis vel igne lento, vel ſaxea, eaque ſatis parva, ſecuri fuerit peragenda. Silvæ hunc in modum proſtratæ poſt dies aliquot, cum nempe rami tenuiores ardore ſolis ſat adaruiſſe videntur, ignis admovetur, qui ſpatium omne deſignatum crepitu horribili

de-

depaſcitur, ramosque omnes, relictis truncis, abſumit: at cum ad limites graſſando devenerit, ſuapte reſtinguitur. Trunci relicti fulciendo tritico Turcico deſerviunt, ne ſcilicet a ventis late omnia perflantibus proſternatur. Terram nullo moliuntur aratro, ſed ubi ſub Octobris initium imber eandem humectaverit, ligneo ligone foramen modice depreſſum aperiunt, ac decem vel quatuordecim ſemina injiciunt, & terra pede admota obruunt. Ulnæ intervallo diſtant a ſe ſe ſcrobes, e quibus duos intra menſes ſeges exſurgit cum plena, & adhuc tenera, ac vel idcirco coloni palato arridente ſpica, ea altitudine, ut apices eques non adtingat, culmo admodum craſſo, foliis latiſſimis: ſpicæ ipſæ dimidiam ulnam nonnunquam æquant longitudine.

Nec minus læte proveniunt canneta ſaccharum procreantia, quæ in ceteris Peruviæ tractibus nonniſi tertio quovis anno adſe-

ſequuntur ætatem, ſaccharo excoquendo idoneam; at hic Septembri, vel Octobri terræ commiſſa, jam proximo Majo, aut Junio ad eam perveniunt maturitatem, ut niſi meſſis acceleretur, periculum ſit, ne penitus corrumpantur. Cannæ altitudine ſæpe ad tres adſurgunt ulnas: craſſitudinem inde colligas, quod duæ humero impoſitæ non ſine moleſtia bajulentur. Quis jam ſatis enarret ſilvarum fœcunditatem, quæ arbores progignunt admodum proceras, ea amplitudine, ut ex earundem truncis ſcaphæ excavari poſſint duas ulnas latæ? Plurimarum trunci eriguntur etiam ad quatuor & viginti ulnarum altitudinem, antequam ad infimos pertingant ramos. Utinam ad humanos uſus eſſent expeditiores, nec a formicarum examinibus fœde corrumperentur, aut ventorum impetu ſternerentur! Silvis bonitate non cedunt campi, qui tamen coli propter aquarum diffuſiones haud poſſunt.

Cine-

Cineres exuſtorum graminum miram illis conciliant fertilitatem: certe ſi vel plantam, quæ vulgo *Sipuriſe* audit, contempleris, non herbam, ſed genus fruticis eſſe putabis. Folium illi longum, & latum, ſcapus fere digiti craſſitudine equitem proceritate occulere poteſt. Coluit Autor ſuo in hortulo plantam, in qua piper creſcit Turcicum, quæ cum alibi vix ultra menſuram ulnæ excreſcat, illic trienni ſpatio pervenit ad fruticis magnitudinem, ita ut ſex milites ſub eadem conſederint, quin ramos capite adtingerent. (*a*) Nec deſunt cucumeres peponum magnitudine. Quid dicam de pomis aureis, & citrinis, quovis anni tempore matureſcentibus, mira mole, & ſucci ſuavitate a noſtratibus tantopere diſſidente? Quid de ſilvis, arboribus cacao refer-

(*a*) Fuerit planta triennis *Capſicum fruticeſcens* Linn. Vid. Molina Lib. cit. p. 115.

fertiſſimis? quid de tabaca (*b*) & caffee (*c*) ſi colantur, lætiſſime provenientibus? Oriza quidem certe ſæpe quintam protrudit intra annum ſpicam, quam coloni naviculis circumvecti in aquis ſolent metere.

Aquæ redundare quotannis ſolent tribus potiſſimum de cauſis. Primum, quia imbres ſtatis menſibus pene continentes, & his noſtratibus largiores, ſæpe per novem continuos effunduntur dies absque ulla intermiſſione. Deinde, quod æquiſſima ſit regionis facies. Denique, quod flumina decurſum habeant adeo lentum, ut in plerisque eodem remigum numero ſecundo, & adverſo curſu pari fere facilitate navigare poſſis. Ineunte Januario fluvii plerique ripas transgreſſi in patentes campos infunduntur, & propter imbres ad Martium usque perdurantes perpetuo increſcunt, ut adeo dum ite-

rum

(*a*) *Nicotiana* Linn.

(*a*) *Coffea occidentalis* Linn.

rum refluant, & campi deſiccati exurantur, vel domi deſidendum, vel naviculis oberrandum ſit. Menſibus his regio omnis mari ſimillima viam navigandi quaquaverſus aperit, aquis paſſim ad orgyæ altitudinem reſtagnantibus, e quibus ſolæ ſilvæ in morem inſularum eminent, ubi generis omnis animalia perfugium quærunt, ſi demas formicas, quæ ſe ſe in globum adglomerantes herbis exſtantibus ſic adplicant, ut vix avelli queant. Si ictu validiore herbam ſuccutias, pars aliqua globi decidet; ſed aquis innatabit, ac iterum herbis adhæreſcet, nec illas deſeret, dum ceſſent eluviones. Piſces e fluviis ſic evagantur, ut toto jejunii verni tempore nullum in iisdem ceteroquin admodum piſculentis deprehendas.

Coloniæ, Mamore flumini adſitæ, maxima ab inundationibus hiſce patiuntur detrimenta, cum aquæ in easdem ita ſe infundant, ut in plateis ſcapharum, quas *canoas* vo-

vocant, adminiculo navigandum ſit. Incolæ niſi domos habeant palis ſuperpoſitas, ad tecta coguntur confugere cum tota familia, & jumentis, deligato ad ædium januam lintre, cujus ſubſidio, cum neceſſe fuerit, egredi poſſint. E tectis illis, tanquam ſpecula, crebro transfigunt ſagitta piſces, per plateas, & ima cubicula gregatim oberrantes, quibus paſſim ſe jungunt crocodili, anati, vel cani cuipiam inhiantes. Fluvius hic oriundus e Peruanis alpibus, in quibus idem eſt pluviarum tempus, ſæpe nocte unica vicina omnia late inundat, & equorum vaccarumque greges aquis in campo undique cingit, ut effugere interitum nequeant, aut certe conſepultis paſcuis ad folia, corticesque arborum arrodendos adigantur, quibus cum inſueti non ſint, ſic emacientur, ut Auſtro ingruente pereant, præſertim cum ob continuas pluvias pilos amittant. Cum aquæ decreſcunt, pecora collo-

tenus

tenus immerſa graminum apices, & herbas innatantes carpunt; fundoque adhærentes pedibus revellunt. Malum idem corrumpit ſata omnia, ſi unam demas orizam. Videas hoc plantaria integra platanis; mandioca; cannisque ſacchurariis referta funditus avelli; & mobilium inſtar inſularum ſic nutare; ut ab Indis facili opera poſſint ad ripam adtrahi, & cannæ jam maturæ præcidi. Porro e tot aquis reſtagnantibus; & limo præ ſolis ardore putreſcente; tantus exiſtit inſectorum exercitus, ut iter, niſi exuſtis campis; facere non liceat. Habet tamen hæc aquarum effuſio ſua emolumenta. Tunc enim arbores exſtruendis ædibus deſtinatæ; tunc meſſis omnis generis, tunc naves effabricatæ, quæ alias nonniſi lentiſſimo; & improbo labore poſſent adduci ad coloniam, tunc, inquam, a binis pueris vix ullo negotio adducuntur. At

quantula hæc ſunt commoda, ſi cum damnis conferantur.

CAPUT II.

De Fluviis, & eosdem trajiciendi modis.

Sed quoniam de fluviis dicere incepimus, tres ſunt præcipui, qui per has Chriſtianorum colonias decurrunt. Primus, & ceteris major, eſt *Mamore*, quem geographi plerique, non ſine errore, confundunt cum fluvio de la Madera. Tametſi enim Mamore quoque ligna vehat copioſa, tamen hoc in genere multo præſtat fluvius alter longe ſpatioſior, qui prope Chacſuclas, coloniam Luſitanorum, in Mamore influit, & Rio de la Madeira, ſeu lignorum fluvius a Luſitanis adpellatur. Alter, cui *Itenes*, ſeu *Guapure* nomen eſt, Danubium

ad

ad Poſonium æquat, ſed alveo ita humili, ut vado tranſiri interdum poſſit. Oritur ſupra Mattogroſſo, Luſitanorum oppidum. Tertius *Veni*, aut *Beni* neutro inferior adlabitur e Peruanis alpibus. Primus & poſtremus infames ſunt ſua rapacitate, & crebro demutant alveum: Mamore præterea ſemper turbidus, at piſcium feraciſſimus. Beni & Guapure aquas vehunt limpidas, fundo plerumque arenato, nec minore ſcatent piſcium copia. Guapure curſu adeo lento volvitur, ut a Mamore, in quem exoneratur, nonnihil tumeſcente plurimum retardetur. Principes hi fluvii, qui minores plures, quam viginti, in ſe ſe recipiunt, aquas ſuas omnes in flumen Amazonum effundunt. Piſcibus plerique, crocodilis autem omnes, redundant. Quidam herbis, inſtar hederæ ſerpentibus, & textu multiplici cohærentibus, ſic conte-

guntur, ut magna anni parte ſcaphis navigari haud poſſint.

Univerſe fluvii omnes id habent peculiare, quod præaltæ eorundem ripæ conſtent ſtratis butyri inſtar mollibus, & mira colorum varietate diſtinctis. Autor in ripa fluminis Mamore ſtrata idmodi parallela, & pedem alta, tredecim numeravit, quorum unum candore, ac politura calce præſtantius templis, ceteriſque ædibus dealbandis adhibetur, reliqua pingendis, & ornandis conclavium parietibus deſerviunt. Fluvius idem admodum periculoſus eſt navigantibus propter loca aquarum vorticibus infeſta: cumque ſit rapidiſſimus, ripas nullo negotio ſubruit, ac proceras, radicituſque avulſas arbores in lintres prætereuntes præcipitat. Præterea fluctus vento concitatos vehementer attollit, ſcatetque arborum truncis, & ramis, in quos in ea præſertim celeritate impactæ naves crebro evertuntur. Sed

&

& cannæ ripam utrinque conveſtientes intutam reddunt navigationem : nam aquis cum ruinoſa ripa haſtilium inſtar oblique imminent, cumque plurimæ ſiccæ, & confractæ ſint, cuſpides habent acutiſſimas, quibus nautarum incautorum latera confodiunt, & tuguria pellicea, in ſcaphis erecta, disturbant. Adde infeſtiſſimos culicum, & aliorum inſectorum morſus, quæ tota quidem regione, ſed hic imprimis graſſantur. Ceterum ripa utraque avibus, & quadrupedibus ſic eſt inſeſſa, ut navigantes epulo lautiſſimo nunquam deſtituantur.

Tranquillus, & priori diſſimilis Guapure ſolet item nautis eſſe periculoſus propter ſaxa prægrandia, quæ inſtar catenæ alveum duobus in locis intercipiunt, nec niſi peranguſtum relinquunt ſcaphis tranſitum, tanta peragendum rapiditate, ut artubus omnibus contremiſcas. Res momento finitur unico, ſed a quo vita ipſa pendet. Majora

ſaxa occulit Mamore, ſed ubi colonias Chriſtianorum jam eſt prætergreſſus. Series pulcherrima arborum, quibus fluviorum margines obſidentur, æſtui levando umbram; aves autem, & ſimiæ gratum oculis ſpectaculum, ac fami ſolatium præbēnt. Sunt aves, quæ piſcibus victitant, & bilibres etiam liguriunt, quas cum Indi ſagitta figunt, ave & piſce eadem opera potiuntur.

Mira quædam occurrit in quibusdam fluviis naturæ procreatio, quam accolæ *Dimoicſico*, ſeu piſcium ſtercus nominant. Eſt nimirum cruſta quædam ſicca colore obſcuro, quæ tenui arboris ramo ſub aquis ad pedis longitudinem circumfunditur, poroſa ad ſpongiæ ſimilitudinem, ſed tenuiſſimis, & longiusculis referta aculeis. Hanc Indi una cum ramo præciſam comburunt, ac cineres in pulverem redactos certa proportione admiſcent maſſæ, de qua vaſa fictilia excoquunt, quæ hujusmodi adhibita tempera-

tio-

tione igni diutius, & pertinacius reſiſtere compertum eſt. Materia hæc tempore inundationum infra aquam duntaxat formatur, nec unquam deprehenditur in ramis extra eandem exſtantibus. Multis necquidquam indagavit Autor in ejus originem: excrementum quidem piſcium eſſe, quæ vulgaris eſt opinio, vix erit, qui ſibi perſuadeat. Nam primum non in omnibus invenitur fluviis, & lacubus etiam piſcoſiſſimis; coloniæ certe piſcibus abundantes eadem carent, & in uſus ſuos aliunde petere neceſſe habent. Deinde inſtitutis experimentis conſtitit piſcium excrementa innatare aquis, nec proinde poſſe ſub iisdem cruſtam illam ramis demerſis inducere. Propius ad veritatem fortaſſe accedit Autoris ſuſpicio, eandem e ramorum ſucco, ope aquæ ſoluto, confieri opinantis. Lacubus provincia abundat innumeris, quorum non pauci decem & amplius milliaria circuitu ſuo complectuntur, & plerum-

que abeunt in fluvios, præbentque barbaris ſuperſtitionum ridicularum occaſionem, de quibus infra recurret ſermo. Abundant plerique piſcibus, & crocodilis. Sunt, qui ſiccantur, piſcibus acervatim emorientibus. Sunt, qui ulva mutuo ſe ſe implicante ita conteguntur, ut aquam ſubeſſe ne ſuſpiceris quidem, poſſisque tuto, & ſicco calcare veſtigio: equus tamen, niſi caute, & admodum lente ducatur, pede textum illud herbarum perfodit, & in aquam mergitur, non niſi labore improbo expediendus.

Locus ipſe depoſcit, ut de pontibus ac vehiculis, in tanta aquarum frequentia neceſſariis, pauca commemoremus. Barbari olim magnis molitionibus aggeres exaltarunt e terra utrinque effoſſa, qui duos noſtrates currus dorſo caperent, & ultra ſummam aquam eminerent. Labore hoc improbo non ſolum tutum præſtabant commeatum inter aquas undique diffuſas, ſed & illud

con-

conſequebantur, ut ſiccatis campis aquæ penes aggeres in foſſis remanerent, quarum adminiculo meſſem, & alia vitæ ſubſidia ſcaphis ad vicos ſuos facile deportarent. Genus hoc pontium apud Baures imprimis obtinebat, quorum adhuc viſuntur veſtigia: at hodie, fabrica navium multo magis exculta, penitus antiquati ſunt. Structura hodiernorum ejusmodi eſt, quam mireris æque, &, ſi transeundum ſit, reformides. Primum genus ſtruitur e truncis arborum ſiccis, cum ligna recentia pondere nativo demergantur. Nimirum fune quodam vimineo, de quo alibi diſſeremus, truncos inter ſe devinciunt, quibus duo plerumque inſident, & in adverſam ripam eluctantur. Trajectio hujusmodi res eſt periculoſa, & peculiarem expoſcens dexteritatem: tum quia pons mobilis in latentem illiſus truncum facile diſſolvitur; tum quia parum eminet ex aqua, ut adeo crocodili

homines aquis innatare rati famelico rictu proxime accedere audeant, quos abigere vel ideo perarduum eſt, quod propter anguſtias ſeſſores vix ſe commovere poſſint citra præſentiſſimum naufragii periculum. Tutior eſt tranſitus, ſi pluribus idmodi ratibus flumen ſimul trajiciatur.

Rivi anguſtiores mirabili plane tranſeuntur artificio. Palmas, aut cannas robuſtiores fune apicibus injecto utraque in ripa adprehendunt, eodemque adducto, prehenſa cacumina ſic inflectunt, ut ſe ſe contingant; deinde in hoc ſitu arcus cujusdam transverſi ſimilitudinem referente deligant. Sic inflexis cannis vel arboribus tigilla transverſa ſtatis intervallis alligant ita, ut machinamentum ſcalarum arcuatarum imaginem exhibeat, per quas curionem ſuum, uxores, & liberos traducunt. Sed vehiculum America tota uſitatiſſimum conſit e vaccarum pelle, parte hirta extrorſum verſa, cujus margi-

gi-

gines circumcirca eriguntur ad ſex digitos, ac interne cannis, aut virgultis alligantur ita, ut ponto iſte ſpeciem habeat menſæ quadratæ. Uni laterum adnecti ſolet funiculus, cujus ope Indus pondus duorum etiam centenariorum natando per fluvium traducit; interdum eundem remo propellit, ſed perito opus eſt remige, ne amiſſa ponderis æquilibritate in aquas effundatur. Uſum navigii hujus in tota America ipſi etiam Hiſpani adoptarunt, ac ejusdem ſubſidio merces quantivis pretii per majores quoque fluvios deportant: Indi vero vel pueri animi cauſa per aquas coloniis adlabentes paſſim anatum more his cimbulis oberrant. Modus hic flumina trajiciendi omnium eſt ſecuriſſimus, ſi corium ſanum, ac probe deſiccatum ſit, &, qui vehitur, quiete conſideat. Alii cannas paluſtres, puppi, ac prora ſurſum reflexis, more noſtrarum ratium concopulant, quarum ope itinera etiam

lon-

longiora ingrediuntur, ac adverſo quoque flumine navigant. Qui tutiores eſſe cupiunt, utres probe clauſos, & aere inflatos iisdem ſubjiciunt, atque ita, tametſi fluctibus pilæ inſtar jactentur, ab omni tamen mergendi periculo ſe tutos reddunt. Siquod flumen Indo equiti in via ſe offerat, freno ademto equum in profluentem impellit, quem aquis innatantem aut præcedit ipſe, aut ſequitur: interdum e juba ejusdem pendet, ac dextra baculo armata crocodilos adnatantes coercet. Sed hæc de indole, fluviisque Provinciæ generatim ſufficiant: nunc ad peculiares quasdam regni vegetabilis procreationes tranſeamus.

CAPUT III.

De nonnullis arborum, fruticum, & fructuum ſpeciebus.

In tota, qua patet, Moxitania nulla earum, quæ apud nos creſcunt, occurrit arbor;

bor; ſed nova plane ubique ſe offert ſilvarum, & hortorum facies. Arbores pleræque ſponte exſudant reſinam, ſive ſuccum; qui induratus cortici tenaciter adhæret, & ab indigenis collectus in uſum ſuffimentorum curandisque morbis, ac vulneribus adhibetur. Genera nonnulla, Autoris legendo veſtigia, percurremus.

Primum ſibi vendicat locum *Taramoboco*, ſeu vulgo *Copaiba* (*a*), arbor procera, peramplis foliis, aſpero, ac ſubnigro cortice. Inciſa fundit oleum colore aureo, & ea, cui parem vix alibi perſentiſcas, fragrantia. Oleum hoc Luſitani deportant é Braſilia pharmaceutarum uſibus deſerviturum, atque pictoribus etiam expetendum, ſive ut coloribus majorem concilient vivacitatem; ſive ut inſecta arceant à picturis propter odoris gravitatem. Quando Copaiba oleum fundit, vicibus creberrime repetitis eum e-

dit

(*a*) *Copaifera officinalis* Linn.

dit fragorem, qui adlabi ad aures ſolet; dum aſſerem nonnihil inciſum manibus divellimus: putares frangi ramos, aut truncum ipſum violente diffindi, quæ ipſa res barbaris occaſionem ſuperſtitionis ridiculæ præbuit. Putabant nempe arbores has eſſe receptacula geniorum illorum, ſeu, ut ipſi vocant, *Acſanorum*, qui in rixa, clientes inter exorta, a fortiore ſuperati miſere vapularunt, ut adeo reparandis viribus neceſſe habeant oleo hocce confoveri.

Aliud olei genus, (*Mariæ* vocant) fundit arbor item procera, e qua ſcaphæ cavantur ampliores. (*a*) Nulla eget inciſione, ſed bis

(*a*) Bouguer de arbore Mariæ hæc tantum habet: „ Occurrunt in Peruvia arbores propter can„ dorem corticis, atque ingentem proceritatem me„ morabiles, quæ *arbores Mariæ* adpellantur, & ma„ lis navium ſolæ ſunt idoneæ, cum ceteræ regionis „ hujus incolæ pondere ſint enormi præditæ". Reiſe nach Peru. Oleum ex iisdem proveniens commendat Ulloa in ſuo Itinerario pag. 41., genus tamen arboris nondum eſt definitum.

bis quotannis ſponte dimittit liquorem colore obſcuro, qui ceræ inſtar ſic deinde conſiſtit, ut ope ignis ſit reſolvendus. Mira prorſus eſt fragrantia, &, ſi temporibus adplicetur, medetur in America hemicraniæ: umbilico adpoſitus depellit ventriculi refrigerationem: ſanat contuſiones, & apoſtemata: calida dilutus aqua alvo ciendæ opportunus eſt. Magna copia transfertur in Europam pro officinis pharmaceutarum.

Tſiga arbor eſt mediocri magnitudine, ſponte item exſudans ſuccum, qui, ubi concrevit, mirum habet candorem, ac levitatem, ſuffiendis cubilibus propter fragrantiam maxime idoneus. Odor naribus exceptus capitis dolores mitigat, aut plane depellit.

Saſſafras paſſim occurrens corticem habet aromaticum, qui odore, immo & ſapore ad cinamomum accedit. (*a*) Decoctum

ejus-

(*a*) *Laurus Saſſafras* Linn.

ejusdem ſalubri fere cum eventu propinatur mulieribus, quæ poſt parturam ſanguinem reliquum excernere nequeunt; ac proinde doloribus acutiſſimis non ſine præſenti vitæ periculo divexantur: potio hæc ſtatis temporibus repetita fæces omnes depellit. Peruani, ut ſtomachi malo vel medeantur, vel antevertant; vaſcula ex hoc ligno tornata avide conſectantur; cui conſuetum herbæ Paraquaricæ decoctum indunt.

Palo Santo (*a*), ut Hiſpani vocant, vaſcula ſuppeditat multo etiam fragrantiora, magisque aromatica, ac proinde virtute quoque medendi prioribus ſuperiora. Alia præterea habetur arbor eodem nomine; ſed nec ita procera, nec iis prædita virtutibus. Foliis luxuriat longis, & latis; oculoque gratiſſimis. Hanc ubi contigeris, continuo examen rufarum formicarum excipies; per omne corpus tanta ferocia, & mordendi acerbi-

(*a*) *Guajacum ſanctum* Linn.

acerbitate discurrentium, ut pene putes mentem tibi eripi, niſi veſtibus celerrime projectis temet liberes: reſtabit nihilominus etiam deinceps ardor quidam in membris ultra horæ ſpatium corpus diſcrucians.

Cinamomi arbor excelſa (*a*) foliis redundat denſiſſimis æque, ac pulcherrimis. Cortex ad Aſiaticum ſapore, & colore quam proxime accedit. Incredibile eſt, quam læte ubique arbor hæc proveniat, quamque cum orientali eandem plane eſſe advena Hollandus adteſtatus eſt. Denſitas forte ſilvarum ſolem excludentium unice in cauſa eſt, quo minus cinamomum Americanum Aſiatico æquiparetur. (*b*)

Csunia ſuffimentum præbet omnium præſtantiſſimum, cujus ſubobſcura reſina igni

(*a*) *Wintera aromatica* Linn.

(*b*) Verum Cinamomum Aſiaticum provenit à *Lauro Cinamomo*, arbore toto genere diverſa.

igni injecta odorem ſpargit, quo ſuavius, & amœnius nihil uſpiam natura ſubminiſtrat. Genere hoc ſilvæ paſſim abundant.

Nec deeſt *Quinquina*, arbor præcelſa, craſſa, foliis amœnis, ſed exilibus. (*a*) Corticis vim in depellendis febribus imprimis ſentiunt indigenæ, qui eodem ſemel duntaxat adhibito ab hoc morbi genere citra omne dubium liberantur: ſi vel tantillum, quantum pulveris nicotiani pollice, ac indice comprehendi poteſt, demittatur cum aqua in ſtomachum, hoſpes ingratus abigitur, id quod vel illi experiuntur, qui ſalivam corticis maſticatione provocatam glutiunt. Sunt, qui aqua ſola curantur, in qua cortex aliquamdiu maceratus eſt. Plerique autem, poſtquam unica potione malum depulerunt, medicamen adhibent, quo ſtomachi ardor temperetur; at-

que

(*a*) *Cinchona officinalis* Linn.

que ſenſim refrigeretur. Tanta eſt vis illic celeberrimi hujus corticis.

Lignum Braſilum (*a*) textilibus rubro tingendis idoneum nomen traxit a Braſilia, unde in Europam deportari ſolet a Luſitanis.

Tamarindus fructum procreat ſapore gratiſſimum, & a medicis etiam uſibus valde commendatum. Arbor eſt ſat procera, tam undique æquabilis, ut periti olitoris falce efformatam crederes, trunco recto, ramis in omnem partem ſe ſe explicantibus, qui tametſi minuta progenerent folia, umbram tamen adverſus ſolis ardores præbent gratiſſimam.

Cedri tam mares, quam feminæ turmatim, & a ceterarum arborum conſortio ſejunctæ plerumque creſcunt, quas proinde indigenæ in quasdam veluti familias tribuunt,

(*a*) *Cæſalpina Braſilienſis* Linn.

buunt, ac patres, matres, avos, filios, nepotes &c. nuncupant, nec inepte, ſi ordinata earundem ſeries adtendatur. Cedrus mas ſubrubra, & amara eſt, nec unquam ſub aquis penitus corrumpitur. (*a*) Tractari ceræ inſtar poteſt, & cum glande plumbea pertunditur, nullas foramen prodit feſtucas. Decocto ejusdem impeditur ſanguinis coagulatio in iis, qui lapſum paſſi graviorem ſectione venæ juvari apud nos ſolent. Adhibetur lignum ſtruendis altaribus, pulpitis, ſubſelliis, portis, & aliis ſcriniis, quod facile formetur in tabulas, ac odore ſuo, & amarore ingratum ab inſectis minus adpetatur. Trunci diametrum ha-

(*a*) Cedrus mas eſt *Pinus Cupreſſoides* Linn. Vid. Molina Lib. cit. p. 144, qui refert arborem hanc mole interdum tam vaſta eſſe, ut inſulæ Chilor incolæ ex unica 700. aut 800. aſſulas, quarum quævis 20. pedes longa ſit, doliis componendis parent. Idem ait ſe, cum in Europam navigaret, obſervaſſe aquam in doliis e Cedro iſta conſtructis manſiſſe incorruptam, nec odorem ullum a vaſe traxiſſe.

habent interdum decem & amplius ulnarum, altitudinem vero ad primos usque ramos plus quam viginti. Cedros plurimas una cum radice ſubruit Mamore rapaciſſimus, quas Indi educunt, & ad ſuas colonias devehunt. Joannes Suoſa Luſitanus narravit Autori noſtro, ſe in hoc fluvio ad eum deveniſſe locum, ubi inter ſcopulorum repagula unicus patebat tranſitus; illic cedrum marem ſe deprehendiſſe, quæ, trunco infra aquas latente, viam ſcaphæ ramo unico intercluſerit, cui reſecando ſex robuſti Æthiopes per vices ſibi pariter ſuccedentes die tota inſudaverint, præſente licet, ac urgente hero. Quid jam de trunci ipſius mole erit opinandum? Craſſiores reperiuntur in Braſilia, circa Cartagenam, in Porto Bello, in Csagre &c. e quibus excavatæ naves oneri mille ponderum centenariorum perferendo pares ſunt.

Cacao (*a*) in ſilvis, denſitate ſua ſolis beneficium excludentibus, haud læte creſcit. Solo gaudet humido, folia protrudit ampla, florem candidum, & minutum. Fructus trunco, aut ramorum initiis adhæreſcens teres eſt, pollicum circiter octo longitudine. Capſula exterior prædura primum eſt colore viridi, qui pro ratione maturitatis ſenſim in flavum, ac demum in fuſcum abit. Grana incluſa, eaque interdum etiam quadraginta, capſulæ quibusdam veluti filis devincta undique adhærent; & pellicula involvuntur tenuiſſima miri ſaporis; quæ prius, quam nuclei ipſi ſoli ſiccandi exponantur, detrahi ſolet. Tametſi autem ſilvæ omnes, quarum fines nemo adhuc luſtravit, hac arbore plenæ ſint, tamen cultura adhibita Cacao domeſticum ſilveſtri longe antecellit. Modus porro colen-

(*a*) *Theobroma Cacao* Linn.

colendi hic eſt. Locus platanis refertus deligitur, intra quas intervallis quatuor ulnarum inſeruntur arbuſculæ alibi natæ, platanorum umbra a violentis ſolis ardoribus protegendæ. At ubi poſt triennium ita jam convaluerunt, ut ad hominis adſurgant altitudinem, platanis dejectis ſoli exponuntur, atque anno quinto fructibus exuberant. Cum ætatem juſtam conſequutæ ſunt, ceraſis noſtratibus non cedunt magnitudine. Nucleos ſilveſtribus & majores ferunt, & pinguiores, totoque anno flores & fructum ſuppeditant, quem ſilveſtres non præbent, niſi menſe unico, eoque imbribus quotidianis diffluente, ut adeo collecti nuclei, cum ſiccari ad ſolem nequeant, maxima ex parte corrumpantur. Genus hoc arborum plurimum propagatur ope avium, & ſimiarum, quæ cuticula illa nucleos involvente mire delectantur, ipſos vero nucleos propter amarorem non adtingunt, ſed paſ-

ſim dejiciunt, e quibus novæ deinceps ſtirpes exoriuntur: hoc ipſum faciunt indigenæ, qui potura e Cacao parata non delectantur: immo Hiſpani ipſi Peruviæ incolæ herbam Paraquaricam eidem antefe- runt.

Bainilia (*a*) in ſilvis nonnullis ſatis copioſe provenit, ramosque arborum hederæ inſtar complectitur, ac iisdem ſe ſe multiplici gyro circumvolvit. Fructus vaginam habet pedis dimidii longitudine, ſiliquis fabarum noſtratium haud abſimilem, minutiſſimis refertam ſeminibus, quorum uſus tota jam America exolevit, quod compertum ſit capitis ægritudines inde generari. Pro Bainilia hodie paſſim adhibetur cinamomum maſſæ e Cacao conficiendæ, vel potioni ipſi inſpergendum. Peruani odoramentorum adpetentiſſimi Bainiliam ſcriniis

(*a*) *Epidendrum Vanilla* Linn.

niis, in quibus veſtimenta adſervare ſolent, inſerunt; aut corpori ſuo adplicant, ut ſcilicet nares eorum, quos inter verſantur, grato odore adficiant.

Caffee tametſi pro cœli indole lætiſſime provenire poſſet, non colitur tamen, quod in tanto regionis ardore potus calidi valetudini adverſentur.

Poma aurea & *citrina* Europæis tam ſapore, quam magnitudine præſtantiora anno toto haud deficiunt. Alia ſubacido, alia dulciſſimo ſapore ſe commendant: priora indigenis magis arrident. Citrinis ſilvæ omnes redundant: eſt enim quoddam perdicum genus, poma hæc decidua una cum nucleis devorans, eosdemque indigeſtos rurſus egerens, e quibus novæ undique propullulant arbores. Eadem de cauſa, locis potiſſimum humidis, multiplicantur *cidræ* mira fragrantia, & ſæpe maximorum noſtratium peponum magnitudine.

Palmarum tam copia, quam varietas eſt pene incredibilis. Trunco candelæ inſtar adſurgunt rectiſſimo; ramos, & folia nonniſi in vertice, tanquam comas quasdam, progignunt. Confiunt e foliis ſtoreæ, ſportulæ, pilei non indecori, & arcendo ſolis ardori opportuni. Quædam infra corticem filamenta occulunt, quæ cannabis more tractata nervum pro arcubus, & funes pro lectulis præbent. Rami cum foliis ſuppeditant ædibus parietinas, ſi palis ſtato intervallo defixis adligentur. Interdum tegendis domibus adhibentur; at ſolem potius, quam pluviam arcent. Aptior eſt truncus ipſe huic uſui: cum enim cavus, & nonniſi filis quibusdam refertus ſit, his exemtis ſi findatur per medium, duos veluti canales offert, e quibus imbrices facili opera efformantur. Tecta hujusmodi paulo difficilius admittunt ignem; verum, oleo cum abundent, admiſſum pertinaciter fovent,

ſpicu-

ſpiculisque ignitis quaquaverſum ſparſis homines a ferenda ope repellunt. Palmæ omnes in vertice ad ramorum initia ſecuri apertæ exhibent quædam veluti folia candida, & adglomerata, quæ vel cruda palatum ſuaviſſime adficiunt; plerumque tamen comminuta coquuntur, ac ſale, acetoque condita ipſis etiam advenis obſonium admodum delicatum præbent. Fructum præterea, quem *Cocum* vocant, omnes progignunt, cujus cruſta exterior dura, & prægrandis aquam interdum continet palato gratiſſimam, ac hominis unius ſiti ſedandæ ſufficientem. Cortici interne adhæret materia quædam candida eſui opportuna. Sunt, quæ racemos progerminent ducentis & amplius cocis inſtructos, quorum cortex, ferro durior, cum perfringitur, ſubminiſtrat oleum fovendis lampadibus, crinibusque indigenarum perungendis idoneum. Interiori corticis parieti craſſior quædam adhæret cutis,

quæ,

quæ, famis præſertim tempore, torrefacta in farinam redigi, atque ita tritici Turcici defectum ſarcire ſolet.

Offert quoque ſe in ſilvis quoddam, ſi ita adpellare fas eſt, arboris *amygdali* genus, tantæ proceritatis, ut truncus interdum adtingat menſuram ulnarum 24. tanta plerumque amplitudine, ut cavari in lintres poſſit. Cocos procreat bilibres, nonniſi ope ſecuris aperiendos, intra quos latent amygdala etiam tricena, binis noſtratibus æqualia, quæ contuſa, ac preſſa lac magna copia ſuppeditant: ſin autem aliquot adſerventur menſibus, oleum pro lacte præbent. Lac illud cum oriza incoctum cibum largitur ſaporis optimi, ſed parcius ſumendum, ne offendat ſtomachum. In ſilva ſub hiſce arboribus incaute oberrare res plena eſt periculi: nam coci e tanta altitudine paſſim delabentes pondere caput ipſum perfringunt.

Pla-

Platanus arbor ſat alta truncum habet, quem brachiis complecti nequeas. Situ adſurgit rectiſſimo, nec facile profert folia tricenis plura, verum tam ampla, ut binis contegi, vel penitus inſui poſſis. Indigenæ ſe ſe folio ejusmodi, tanquam ſcuto, adverſus imbres tuentur. Capſula ad folii pedunculum emergit ſpithamæ longitudine, colore violaceo, figura coni, quæ ſubinde aperta complures exhibet floſculos flavos, idque quovis anni tempore. E capſulæ fundo adſurgit ſtylus quidam craſſior, medullæ capitatæ braſſicæ perſimilis, e quo fructus platani undique progerminant, & intra menſem jam maturi leguntur. Minimi vocantur *Guinei*, medii *Dominicani*, maximi vulgo *Harta-veliacos*, ſeu famis ſedatores, quod ſcilicet depellendæ fami unicus abunde ſufficiat. (*a*) Minimi ſapore, ac

fra-

(*a*) Videntur hæ Platani eſſe diverſæ ſpecies *Muſæ*, uti eſt *Muſa paradiſiaca*, & *ſapientum*.

fragrantia ceteris præſtant: at reliqui magis conducunt valetudini, poſſuntque coqui, aſſari, aut frigi, cum primi non niſi crudi edantur, idque parce admodum propter æſtum ſtomachi, hauſtu frigidæ temperandum. Si ſtylus ille, ſeu racemus, cui fructus interdum 50. adhærent, ante plenam maturitatem reſcindatur, edi coctus duntaxat, aut aſſus poteſt, quo haud parum juvantur, qui nimiis egeſtionibus, etiam ſanguine permiſtis, laborant: immo compertum eſt vel ipſum florum decoctum malo huic egregie mederi, ſive deinde potione ſumatur, ſive cliſtere immittatur. Extima racemi nondum plene maturi cutis eſt colore viridi; at cum reſectus domi adpenditur, paucos intra dies flaveſcere incipit, plenamque conſequitur maturitatem. Pulpa nucleo deſtituta, detracta cuticula, tanquam farcimen tota abſumi poteſt: ſapore tamen tunc eſt maxime exquiſito, dum cutis fuſco tin-

gi

gi incipit, habetque nonnullam cum illo adfinitatem, quem in ficubus deprehendimus, maxime ſi in uſus longiorum itinerum diutius adtineatur. Arbor ipſa, ſi fructum demas, non aliud præſtat obſequium, cum obvio cultro recidi facile poſſit, & tunc e radice paucos intra dies tres quatuorve propullulant, ac poſt anni decurſum fructus colono ferunt. Spatio quadrato, cujus latus ulnas 20. continet, ducentæ poſſunt inſeri, quæ familiam quatuor capitum anno integro cum pleno corporis vigore ſuſtentabunt.

Goſſipii duplex habetur genus. Silveſtre provenit in arbore paſſim obvia, & quam majoribus merito adnumeres. (*a*) Florem

(*a*) Forte *Bombax pentandrum* Linn. deſcriptum a Jacquin Plant. Americ. pag. 192. Veriſimiliter arbor hæc eadem eſt, quam Ulloa, & Clavigero ab Hiſpanis *Ceibo* vel *Ceiba* adpellari adſerunt. Clavigero

rem habet candidum, flavo nonnihil tinctum: fructum præ domeſtica gignit copioſum, minorem tamen. Goſſipium ipſum unionum præfert colorem, eſtque mollitie, ac tenuitate ſerico præſtantius. Verum ad textrinæ uſus apud indigenas hodiedum non valet,

---

ro hæc de illa memorat: „ Arboris craſſitudo prodigioſæ ejusdem proceritati proportione reſpondet: oculos intuentium magnopere oblectat, cum „ novis ſe foliis induit, & fructibus redundat, qui „ genus quoddam goſſipii candidum, tenerum, & „ molliſſimum intra ſe habent, e quo poſſent ſane „ contexi, & reapſe textæ quoque fuerunt telæ ſericis fortaſſe præſtantiores: at cum fibræ perbreves „ ſint, torqueri in fila difficulter poſſunt. Goſſipium iſtoc ſolet pulvinis, & lodicibus farciendis adhiberi, idque habet peculiare, quod calore ſolis „ mirum in modum turgeſcat. „ Storia antica del Meſſico T. I. pag. 62.

Ulloa in ſuo Itinerario ait goſſipium in rubetum vergens eorum valetudini, qui illud in ſtragulis, & lodicibus ſibi ſubſternunt, noxium exiſtimari, quod naturæ extreme frigidæ eſſe putetur. Eadem hæc arbor ad fluvium Orinocco barbaris *Cumaca* dicitur, qui ejusdem goſſipium, utpote in terra, vel in lecto penſili cubare adſueti, prorſus negligunt. Gilij Lib. cit. T. I. pag. 162.

valet, quod fila momento quovis rumpantur: non eſt tamen dubium poſſe a peritis textoribus confieri ex eodem telas ſericis longe excellentiores. Hortenſe goſſipium, quod ad uſum domeſticum plantari ſolet, progignit arbor mediocris, ramis ita undique luxurians, ut putatione coercenda ſit. Solem plerumque fervidiorem, quam cannæ ſacchrariæ, depoſcit. Lapſo quadriennio penitus amputanda eſt; deinceps enim vel nullum, vel certe parciſſimum generat fructum. Moxitæ goſſipium procreant colore duplici, candido ſcilicet, ac rufo; aptaque generis utriusque permiſtione, citra tingendi neceſſitatem, telas contexunt perelegantes.

Ecſomoboco arbor eſt indigenis veſtimenta ſuppeditans. Cortex per totam inciſus trunci longitudinem facile revellitur, qui ſcabello impoſitus, crebroque humectatus piſtillis leniter verberatur, dum pars

exterior penitus diſſiliat, liber autem, ſeu cutis interior ita ſenſim molleſcat, ut inſtar telæ plicari quaquaverſus poſſit. Ex hoc telæ genere, quæ modo rufa eſt, modo candida, conſarcinant veſtimenta, ut parcant goſſipinis.

Juka ſeu *Mandioca* (*a*) genus eſt arbuſti ramis exuberans plurimis, e quibus gemmæ, pollicis intervallo disjunctæ, confertim propullulant: folia proxime accedunt ad ficulna. Radicum bulbi alimentis hominum vel maxime deſerviunt, quibus effoſſis, reſecti rami in ſilvis loco humido, ac ſolaribus radiis impervio menſes complures adſervantur, cumque tempus plantandi advenerit, in fruſta pedem dimidium longa conſcinduntur, ac in foſſam paratam ſegmenta terna, quaternave non nimium alte immittuntur, e quorum nodis ſingulis ſurculi pronaſcuntur. Plantatio menſibus Septem-

(*a*) *Jatropa Manihot* Linn.

Septembri, & Octobri ſuſcipitur, cum ſcilicet imbres increbreſcunt: menſe autem Februario bulbi jam effodi; uſuique adhiberi poſſunt. Neque tamen plus vice una e terra eximitur, quam quod neceſſitati præſenti ſufficiat; partim quia æſtu cito areſcunt, & corrumpuntur; partim quia intra terram relicti continenter ingrandeſcunt. Sæpe unico in cumulo quadraginta reperiuntur femoris humani craſſitudine; quorum non pauci ad dimidium excurrunt pedem longitudine.

Duplex autem radicis tam ſalubris habetur genus. Unam Hiſpani vulgo dulcem; indigenæ vero *Cuhupam*; alteram illi feram, hi *Mapihere* vocant. Illa citra præparationem ullam edi continuo poteſt: hæc ſuccum nonnihil venenatum continet, qui proinde crebro elui, & exprimi debet, ne febrim, ac violentos capitis dolores interdum haud ſine delirio, tormina item, ac vomitionem

provocet. Tanta porro generis utriusque eſt adfinitas, & ſimilitudo, ut vel indigenarum oculos fallat. Fera humanis uſibus multo eſt accommodatior, quæ proinde fere ſola plantatur, & colitur.

Mandioca dulcis continuo, ut eruta eſt, coqui, & cibis quibusque admiſceri poteſt: aſſatur vulgo calidos inter cineres prope focum ſepulta, nec tamen quidquam demutat de nativo candore, & plerumque ſic tenereſcit, ut foliis involuta menſæ inferri debeat. Sapore ad toſtas accedit caſtaneas, quas tamen dulcedine ſuperat. Sole deſiccata, aut rigori nocturno expoſita, diu adſervari poteſt; durat tamen optime in ipſis radicibus, ubi continua, ut diximus, inſuper accipit incrementa, & biennio etiam perſtat integerrima. Fera tametſi nec coqui, nec aſſari integra poſſit, eſt tamen ad uſus vitæ præſtabilior. Raſtro, ſicuti apud nos naſturtium ſolet, comminuitur, cre-

bro-

broque eluta ſucco illo noxio compreſſionis ope penitus liberatur, deinde ſole ſiccatur, torreſit, ac farinæ formam induit, quam panis loco epulis adſidentes adhibent. Sunt, qui placentas palato admodum ſapientes pinſere ex eadem norint. Interdum in lamellas tenues raphani inſtar ſecatur, & ad ſolem ſiccata facile conſervatur. In alimento ſuppeditando pani Europæo neque ſapore, neque nutriendi facultate quidquam concedit.

Piniones Americani ſunt quædam veluti amygdalorum ſpecies, excitandæ vomitioni, & procurandis egeſtionibus aptiſſima. Naſcuntur in frutice quodam humili, poſſuntque etiam recentes edi. Stomachus paulo robuſtior ferre octonos poteſt. Ceterum ſi comminuti calida ſubigantur, præberi teneris etiam infantibus ſolent, unde expreſſus ſuccus alvo ciendæ vulgo adhibetur. Poſtquam in furno deſiccati rediguntur in pul-

 veres,

veres, quotidiana adteſtante experientia, ſublevant ægrotos adeo ſalubriter, ut vel ipſa ſumtionis die cibum quemvis, aut hauſtum capere, citra detrimentum poſſint: indigenæ quidem balnea conſueta ne tunc quidem intermittunt.

Cobareſe (*a*) frutex humilis, ſpinisque obarmatus eſt, quem ſiquis vel oris halitu adflet, vel extremis contingat veſtibus, folia ſitu horizontali e ramis utrinque pendentia continuo adſurgunt, ramumque amplectuntur, ac penitus obtegunt, quod non fit, ſi a quovis alio animali contrectetur. Indigenæ, ad fabulas ſuapte propenſi, rem omnem timori adtribuunt, quaſi vero frutex iter molientibus ſpinarum ſuarum aculeis permoleſtus metuat, ne vindictæ ſtudio a commeante homine exſcindatur.

Ad fructus edules quod adtinet, de Chirimoja, & Palta jam alibi meminimus.

Ana-

(*a*) *Mimoſæ* ſpecies.

Ananas (*a*) Europæo omni ex parte præſtat. Mole maximos æquat melones: ſucco fragrantiſſimo ſic redundat, ut, quum in lamellas dividitur, lancem admodum capacem eodem repleat. Utinam perinde faveret valetudini! More in America recepto, poſtquam in ſegmenta conciſum eſt, probe eluitur, deinde ſaccharo aſperſum vino perfunditur, & additis cinamomi pulveribus temperatur.

Concludam hoc caput ipſis Autoris verbis, in quibus ſicuti veritas, ita cumprimis elucet animi candor. „ Prætereo
„ multos alios fructus, tum ne in immen-
„ ſum excreſcat opus: tum ne lectoribus ni-
„ mium appetitum erga Americanos, &
„ erga noſtrates fructus nauſeam cum da-
„ mno venditorum moveam. Patet iter in
„ Americam, eant, & in veritatem mea-
„ rum narrationum inquirant: eant, & pa-

(*a*) *Bromelia Ananas* Linn.

„ latum delicatiſſimis illarum partium fru-
„ ctibus paſcant. Sed meminerint prius &
„ itineris, & incommodorum, quæ ipſis
„ perferenda ſunt, quibus forte inducen-
„ tur, ut ſuum cuilibet lubentes relinquant.
„ Ita pariter prætereo tot arbores, quas
„ potius marmora, quam ligna, vocari o-
„ porteret; adeo enim dura ſunt, ut ſecu-
„ res complures confringant, & centum
„ etiam annis aquis ſepulta integra, & ſa-
„ na extrahantur. Præterea, cujus coloris
„ ligna petes, quæ non illico reperias? Quid
„ dicam de mixtis lignorum coloribus? quid
„ de illa glabritie, ac pelluciditate, quam
„ torno elaborata acquirunt, ut vitrum po-
„ tius, quam lignum credas? quid de tan-
„ to quorundam pondere, ut ferrum æ-
„ quent? Utinam eæ regiones non forent
„ tantopere diſſitæ, aut mare vicinius!
„ Quis enim erit, qui ligna hæc mulis uſ-
„ que ad viciniorem urbis Arica portum ef-

„ ferat,

„ ferat, quingentis forte leucis a Miſſio-„ nibus diſſitum? Evehuntur quidem non-„ nulla e Braſilia, ſed quæ toti Europæ ſuf-„ ficere nequeunt: alia vero ibidem miſere „ computreſcunt, quin unquam ea viſuri „ ſint Europæi, tum ob rationes dictas, „ tum quia nonnulla ſunt Miſſionum illarum „ peculiaria, quæ proinde fruſtra apud Lu-„ ſitanos quæſieris„

„ Ad plantas quod adtinet, fateor me „ earum examinandarum ignarum eſſe. In-„ dolui & ipſe non ſemel, cum tantam „ copiam, & varietatem herbarum aſpice-„ rem, & hominem me non habere lamen-„ tatus ſum. Sed quis medebitur malo „ huic? Hiſpanis planta una, herba unica „ auri, argentique fodinæ ſunt, & forte „ eandem incuriam, cuicunque demum na-„ tioni obtigiſſent regna illa, defleremus: „ vix enim mihi perſuadeo Germanos, Ita-„ los, Gallos, aut Anglos eſſe animi tam

„ generoſi, & ab auri amore tam alieni,
„ ut præ illo plantis, aut herbis conqui-
„ rendis vacarent. Verum ut fatear, quod
„ ſentio, Hiſpani terrarum illarum incolæ,
„ ſi carnis fruſtum pomis terreſtribus per-
„ mixtum, & copioſo pipere Turcico ad-
„ ſperſum habeant, hæcque omnia digitis
„ comminuta in ſtomachum trajiciant, ni-
„ hil, ne de plantis quidem hortenſibus,
„ quæ menſas noſtras tantopere ornant, co-
„ gitant. In Miſſionibus major rerum ha-
„ rum cura inducta fuit, ſed eventus & la-
„ borem, & ſpem plerumque fefellit. Alia
„ ſemina nunquam naſcebantur; alia ger-
„ minabant quidem, ſed vel ab inſectis,
„ formicis præcipue, devorabantur, vel
„ quaſi momento in altum excreſcebant, &
„ vel in ſemen abibant, vel exſiccabantur.
„ Alia progerminant quidem, & ſuccre-
„ ſcunt, ſed tam ſunt plantæ parvæ, ex-
„ ſuccæ, & inſipidæ, ut animum omnem

adi-

„ adimant. Tentarunt nonnulli Patrum „ plantare uvas: crevere quidem, immo, „ & quidem bis eodem anno, fructum de- „ dere. Sed quid? quamvis racemos pa- „ pyro involverent, tot apes, vermes, „ formicæ convolabant, ut non niſi pauciſſi- „ mas uvas, easque acidas, & inſipidas gu- „ ſtare meruerint. Unde non farina mo- „ do, ſed & vinum pro ſacrificio dunta- „ xat celebrando quotannis ſemel partim „ mulis, partim fluvio deferebatur, idque „ tercentarum leucarum itinere„.

LIBER TERTIUS

DE VARIIS ANIMALIUM GENERIBUS.

CAPUT I.

De Mammalibus.

Tres ſunt apud Moxitas *Tigridum* ſpecies, aut, ſi malis, varietates. (*a*) Minimæ cervorum ad inſtar rufæ corporis modo Africanas æquant, ceterum felium vulgarium habent ſimilitudinem (*b*) Tametſi autem equum, aut vaccam adgredi non audeant; cervos tamen, damas, vitulos, ac hinnulos prædandi cauſa invadunt, & quid-

quid

(*a*) Non Tigrides, ſed Felium tres vere diſtinctæ ſpecies ſunt, vocabulum tamen Tigridis cum Autore retinebimus.

(*b*) Forte *Felis concolor* Linn. ſeu *Congouar* Buffon.

quid reliquiarum, fame jam expleta, ſuperat, in uſus futuros gramine, vel arborum foliis alte contegunt, quæ tamen ab avibus odore allectis fere produntur, Indiſve, aut aliis animantibus in prædam cedunt.

Genus alterum Africanis majus, cujus extenſum corium e vacca detractum putes, pelle tegitur verſicolore, & mas quidem pilos præ femina lucidiores, ac circulos nigriores habet, & ampliores (*a*). Plena ſunt hoc genere omnia: in ipſa indigenarum domicilia ſe ſe nonnunquam inſinuat, & quidquid carnis uspiam deprehendit, ſurripit. Vires animalis fidem pene ſuperant. Quamprimum in equi, vaccæve tergus inſilit, primoribus pedibus os fortiter adprehendit, caput deinde in partes contrarias tamdiu torquet, dum cervicem frangat deni-

(*a*) *Felis Onca* Linn. *Jaguara* Margraf.

nique. Unum adgredi taurum non audet; qui in ejusdem vicinitate absque timore paſcitur, terram tamen non ſine mugitu pedibus identidem fodit. Anta, de qua in ſequentibus, ut primum in tergo inimicum ſentit, ſeſſorem in ſilvam condenſam rapit, ibique ſpinarum aculeis divexatum abſcedere cogit.

Aſinus, cujus beſtia hæc cumprimis eſt adpetens, obverſo tergo calcibus inimicum repellit, qui, ſi nihilominus eidem inſiliat, ſe ſe in terram ſupinus projicit, & equorum more ſupra hoſtem ſubjectum tamdiu verſat, dum adflictis eiusdem oſſibus ſe ſe penitus expediat. (*a*) Quo in genere equus aſino longe hebetior eſt. Quamprimum enim tigridem in propinquo eſſe perſentiſcit, urinam præ terrore mittit, atque ſic percellitur, ut ne in fuga quidem præſidium quæ-

(*a*) Confirmat hoc ipſum Molina *Lib. cit. p.* 265.

quærat, ſed hoſti ultro in prædam cedat. Crocodilos minores in terra facile dilaniat: a majoribus tamen caudæ ictu ſæpe rejicitur, vel certe dentium aculeis diſcerpitur. In tranandis fluviis deprehenſam crocodilus nullo negotio ad fundum detrahit ſuffocandam, ac ſubinde in ripam protractam otioſe devorat. Licebit autem vires hujus Tigridis vel e caſu unico æſtimare. Equum prope coloniam arreptum ope unius pedum pertraxit ad vicinum fluvium, quem una cum præda facile transnatavit. At ripa adverſa ſcopuli inſtar abrupta, & ad orgyas aliquot exaltata obſtaculum obtulit pene inſuperabile. Evaſit tamen ad crepidinem tribus reptans pedibus, equumque in ſilvulam mille disjunctam paſſibus deportavit.

Poſtquam humanum deguſtavit ſanguinem, cetera animalia, utcunque prematur fame, fere faſtidit. Dum prehendit homi-

nem,

nem, caput imprimis dentibus corripit, jugulum ſubinde dilacerat, atque exundantem ſanguinem haurit avidiſſime, corpus ipſum non adtingit. Cum quis fortuito eidem obviam fit, caveat, ne metum prodat, aut, quod periculoſius, ſalutem in fuga quærat: tutius eſt ferocienti intrepide occurrere, audacter inſultare, ac fuſte comminari. Juverit etiam, ſi tempus, & locus ſinat, in arborem tenuiorem forte oblatam celerrime evadere; ſin autem truncus ea fuerit obeſitate, ut amplecti eundem pedibus commode poſſit, inſequetur fugientem, & absque dubio in terram detrahet.

Quando cadavere quodam paſcitur, caput nunquam adtollit, nec quidquam fere mandit, ſed aviditate incredibili abligurit duntaxat, oſſa vero tanto comminuit fragore, ut horrorem incutiat intuentibus. Nunquam ferocit magis, quam cum catu-

los habet; tunc enimvero obvia quæque abſque diſcrimine perimit.

Canes venatici, tametſi ceteroquin audaciſſimi, ut primum recentia tigridis veſtigia odore deprehendunt, cauda ſubmiſſa, pilisque arrectis, omnia metuere, & locum caute explorare incipiunt. Cum prope latibulum feræ deveniunt, in terra proſtrati modo ventrem, modo dorſum eidem ſic adfricant, ut villos una cum pelle deterſiſſe putares: uno deinde impetu omnes adſiliunt, hoſtemque magno furore dilaniant.

Deprehenſa in ſilvis, ſi propter ventris ſaturitatem fugæ diffidat, proximam in arborem celerrime emicat: ſin autem ad curſum expedita ſit, canes intrepide excipit, ac ſæpe miſerrime multat, niſi ab accurrente venatore tempeſtive contrucidetur. In planitie curſu præ pinguedine cito delaſſatur. Caro ejusdem, ut ut nitidiſ-

ſima, ne ab ipſis quidem Indis paſſim editur. In ſilvis greges porcorum adſectatur, correptoque poſtremo, ac ceteris horrendo cum grunnitu in auxilium adcurrentibus, ſecuritatem in proxima arbore quærit, nec inde, niſi tumultu jam ſedato, deſcendit, prædamque depaſcitur. Sed & teſtudinum carne delectatur, quarum teſtas unguibus dexterrime aperit, & divellit.

Fluvium ingreſſa aquam pedibus anterioribus quatit, magnoque cum ſtrepitu miſcet; deinde ſe in ripam, tamquam in ſpeculam, recipit, & ad felium ceterarum indolem piſcibus adnatantibus inſidiatur, correptosque pertrahit ad fluvii marginem, ac devorat. Genus quoddam avium prægrandium gallis noſtris, quos Indicos dicimus, haud multum abſimile, hunc in modum aucupatur: cum eas in propinquo eſſe animadvertit, vocem earundem inter dumeta ſcite imitatur, & errore ſoni adcurrentes

pre-

prehendit. Simili artificio aliarum quoque volucrum clamores ſolet prædandi cauſa æmulari. Anates denſa inter gramina ſenſim adrepens improviſo obruit. Cicurare catulos incaſſum tentaveris; nunquam adimes nativam feritatem. Quidquid pinguedine tigridis imbueris, illud a muſcarum importunitate magna ex parte liberabis, quo pacto equorum vulneribus Indi conſulunt.

Non poſſum hoc loco non commemorare mirabilem eventum binorum puſionum, ſeptimum ætatis annum vix egreſſorum. Deferebant ex horto coloniæ proximo contritum in pulveres piper Turcicum, utque tigridem in confini ſilvula improviſo ſibi occurrentem effugerent, in ſummos, ac tenuiores arboris ramos ſe recipiunt, cumque bellua evadere tam alte haud poſſet, protenſis primoribus pedibus detrahere pueros conabatur. Qui piperis vaſculum forte

portabat, objectu ejusdem arcere imminentem nitebatur, caſuque factum eſt, ut aperto operculo piper in oculos ejusdem effunderetur. Senſit continuo morſicantes pulveres, deſiliit, ſibique ipſi oculos propter acrimoniam fricando eruit, ac eodem in loco adhæſit, dum ad perimendum pueri, caute ex arbore defluentes, parentem evocarent.

Tertium tigridum genus, quales Autor noſter tam vivas, quam mortuas complures vidit, nigerrimum eſt, bovis mediocris magnitudine, capite vaſto, pedibus craſſis, & carne diſtentis, oculis ſcintillantibus, horribili ferocia. (*a*) Maculis amplioribus, & reliquo corpore ſplendidioribus diſcriminatur, fere uti damaſcus floribus ejusdem coloris intertextis. Corporis longitudo ad tres

(*a*) *Felis diſcolor* Linn. *Felis nigra* Erxleben Syſt. Mammal p. 512.

tres facile ulnas pertinet. In tribus duntaxat coloniis deprehenditur, quæ nempe vaſtiſſimis ſilvis, ne ab ipſis quidem Indis hactenus penetratis, confines ſunt.

Finem huic de tigride narrationi imponat eventus mirabilis, quem Autor his verbis exequitur. „Alter (caſus) Patri cuidam „ Italo, defuncti Papæ Clementis XIII. „ fratrueli, Indos fugitivos perſequenti, „ contigit. Semitam quamdam cum ali- „ quot Indis ſequebatur Pater ſclopo itidem „ proviſus, quo nempe & ſibi, & comi- „ tibus provideret, quando duæ tigrides, „ inter ſe fortaſſis luctatæ, & ſemet inſe- „ quentes eandem ſemitam curſu veloci in- „ greſſæ ſunt. Dilapſis illico Indis, cum „ Pater jam ſeneſcens arborem aſcendere „ nequiret, circumſpexit ramum aliquem, „ e quo manibus prehenſo ſe ſuſpenderet, „ vidit, &, cum ſclopum abjicere debuiſ- „ ſet, ut manus expeditiores haberet, eo

„ altera retento ramum ſaltu facto adprehen-
„ dit, & elevatis, quantum poterat, pedibus,
„ tigridibus viam liberam dimiſit. Senſit Pa-
„ ter neſcio quid blandi ſub manibus, &, cum
„ jam longius eſſent tigrides, ramum, cui
„ adpenſus erat, inſpexit: & vidit ſerpen-
„ tem, quem Hiſpani *Caſcabel* a nolulis,
„ quibus ſonum edit, vocant, ſe utraque
„ manu, utpote ramo incubantem, adpre-
„ hendiſſe, ea tamen numinis providentia,
„ ut ſclopi clave caput ipſi contra arbo-
„ ris ramum eliſerit, atque ſe hac ratione
„ a mortifero morſu liberarit. „

Animal, cujus populare nomen Autori, qui illud ſemel duntaxat, idque annis primis viderit, non amplius ſuccurrit, lana veſtitur denſa, producta, & candida: cetera tigridis habet, ut adeo tigridem ovis pelle contectam crederes. Caput præcipue lana ſic obnubit, ut oculos vix poſſis diſcernere. Quemadmodum vero viribus inferior

eſt,

eſt, ita ferocia, & ſæviendi cupiditate tigridem ipſam ſuperat. Villi e corpore, ovis grandioris magnitudinem exæquante, ad terram usque dependent. Infeſtat minores feras. Caudæ Autor meminiſſe non poteſt.

Urſus formicarius, Hiſpanis *orſo hormiyero* (*a*) urſis noſtratibus, quibus ceteroquin corporis craſſitudine par, longitudine ſuperior eſt, minore pollet ſtatura. Color illi niger, villi promiſſi, pedes craſſi, armati tribus unguibus rotundis, acutis, digiti humani craſſitudine, binis ſcilicet in parte plantæ anteriore, uno pſittacorum more in poſtica, quos fere, ne atterantur, contractos tenet, plantaque introrſum flexa, ſuper proximo pedum articulo gradi-

 tur,

(*a*) *Myrmecophaga* Linn. & quidem veriſimiliter *jubata* ſeu *Tamanoir* Buffon. Situm, & numerum unguium non videtur Autor bene obſervaſſe.

tur, ut adeo a pedite vel fuſte ſterni poſſit. Caput pro mole beſtiæ exiguum, nec circa ipſos oculos, ubi tamen plurimum excurrit, caput galli Indici ſuperans; verſus os autem continenter, in roſtrum duarum ſpithamarum adtenuatur, deſinitque in oſculum peranguſtum. Sed neque oculi granum lentis excedunt; aures autem, quas a muribus accepiſſe videtur, vix adparent. Cauda ad ulnæ procurrens longitudinem pilis utrinque conveſtitur ſpithamalibus. Fœtum quotannis fundit unicum, quem etiam jam grandiuſculum in tergo præ villis vix conſpiciendum circumfert. Quanquam autem robore non cedat tigridi verſicolori, in juventute nihilominus facile manſueſcit, editurque ab indigenis.

Cum campi æque, ac ſilvæ nidis formicarum ubique exundent, eosdem pede, ut formicæ irritatæ erumpant, fodicat, linguam deinde ad ſpithamas duas exſertam in

ea-

earum examen injicit, & poſtquam formicæ confertim eidem adhæſerunt, celerrime retrahit, atque ita veſcitur animal dentibus deſtitutum. Si cingatur a canibus venaticis, in dorſum ſe projicit, canemque ceteris audaciorem unguibus correptum ſupinus ſic conſtringit, ut oſſa pene comminuat, nec, quod ſemel arripuit, unquam vivum dimittit. Eadem ſe ſe tuendi arte excipit tigridem, ita ut in arena ambo ſæpe occumbant, ſicuti eorum cadavera in mutuo interdum amplexu deprehenſa adteſtantur.

Porcorum ſilveſtrium duplex eſt genus. Majores, noſtris apris haud multum abſimiles, ac dentibus æque metuendi, gregatim oberrant. In tergo pone caudæ radicem glandulam, ſeu quemdam quaſi umbilicum habent, e quo humorem quempiam lacteum irritati ejaculantur, cujus fœtore intolerabili

venatorem in fugam agunt (*a*) Caro hunc in modum irritati porci ſæpius eluenda, & excoquenda eſt, ut ſapere vel Indo poſſit. Venantem, more aprorum, non invadunt, ſed naribus in altum ſublatis dentes ferali cum ſtrepitu collidunt. Facile gregem integrum ſternas, ſi porcellum inter fruteta corripias, oreque ejusdem obturato, in arboris cujuſpiam deciduæ ramum evadas, deinde autem pervellendo ad ejulatum concites; tunc enim turmatim adcurrentes, atque arbori circumfuſos ſagitta, vel lancea nullo negotio perimes.

Alii minores ſunt, ut fere noſtri ſemeſtres, torque circa collum albo, cetera fuſci, carne candida, & (*b*) guſtui non inamœna. Unico in grege ultra mille numeres. Si vel hominem conſpexerunt, vel canum latratus exaudiverunt, momento ad caver-

nas

(*a*) *Sus Tajaſſu* Linn.

(*b*) Forte *Cavia Aguti* Linn.

nas paratas, aditu anguſtiſſimas vel in cavas arbores ſe recipiunt. Indi prædæ aviditate cavernas obſtructis effugiis perfodiunt, aut fumo ramorum viridium ingeſto latitantes ſuffocant.

Ho nomenclatione a ſono, quem ſolet edere, deſumta, vocatur animal cervo haud multum diſſimile, capite duntaxat, faucibus, dentibus, pedumque digitis cani adfine. Curſu non niſi mediocri valens ſcrutatur latibula murium, glirium, & cuniculorum, quos deprehenſos in cibum dexterrime effodit. Pellis calceos, & tibialia vix unquam adterenda ſuppeditat. Paſſim incedit pariter, & ſiquando alter ab altero disjungitur, vocula *ho* ſe mutuo provocant, eademque opera venatori produnt.

Cervorum in æſtate greges tanto pererrant in campis numero, ut a ſex Indis tres intra, quatuorve horas ſæpe tricenis plures interimantur. Univerſe quidem, ſed præ-

ſer-

ſertim qui hominem nondum viderunt, ſunt admodum ſtupidi, ac ea corporis magnitudine, ut robuſtus ſit equus, qui ſub unius onere non ſuccumbat. Sed caro ſucco deſtituta, ac inſipida eſt. Cornua excelſa, & ramoſa quotannis menſe Martio ſolent piloſa quadam obduci cuticula, quæ priusquam exſiccetur, adeo ſunt fragilia, ut vel manu difringi, atque a capite revelli poſſint, e quibus ad ſolem expoſitis oleum exſtillat parandis medicinis aptum: animal vero ipſum toto illo tempore tabeſcit præ macredine.

Mirari ſane quis poſſit tam immenſam *equorum*, & *vaccarum* ubique occurrere copiam, cum annuis inundationibus, tigridum dentibus, indigenarum jaculis, & lanceis tot quotannis millia abſumantur. Genus hoc ex Hiſpania primum propagatum, ad incredibilem in tanta paſcuorum fertilitate excrevit multitudinem. Vaccis, & tauris cumprimis abundat Paraquaria, ubi multa quot-

an-

annis perimuntur millia pellis unius gratia, carne pro avium, & ferarum pabulatione in campis relicta. Apud Moxitas mira ſunt tam boves, quam equi varietate, modoque corporis noſtratibus nihilo inferiores, ſed boves pinguedine potiores faſtidium comedenti pariunt.

Simiæ varietate, & numero incredibili ſilvas replent omnes. Menſura caudarum æquat corporum longitudinem, cujus adminiculo ſe ſe de una arbore in aliam mirabili celeritate trajiciunt, &, ſi forte veſtigium fallant, e ramis ſuſpenſæ manent. Catellos in humeris citra labendi periculum circumferunt: ceterum longiſſime abſunt a jocis illis, & imitandi artibus, quibus Africanæ tantopere excellunt, cumque fructibus veſcantur arborum, carnem ſuppeditant nutrimento opportunam.

Omnia pervidendi, atque explorandi curioſitas perniciem iisdem non raro adfert.

So-

Solent enim tigrides denſa inter arbuſta ſe ſic occulere, ut videri quidem, non tamen etiam diſcerni poſſint. Simiæ proinde explorandi cupiditate ex arboribus certatim deſcendunt, & propius accedentes in ungues latitantis incidunt, neque id quidem immerito, ſunt enim plerumque furaces, & damna ſegetibus Turcici tritici magna inferunt. Cuſtode nempe digreſſo fruges turmatim invadunt, ſpicas ſilentio decerpunt, atque infra brachia ad arborem deferunt, ibique adpendunt: revertuntur autem denuo, & intra horam agrum depaſcuntur. Unde pervagata apud Indos eſt opinio, ſimias eſſe reapſe homines, ſed qui loqui dedita opera nolint, ne ad faciendum ſcilicet opus compellantur. Sed jam unum alterumve genus ex ingenti illa varietate delibemus.

Strumoſæ, Hiſpanis *Trapiceros* nomen a torculari, quo cannæ ſacchrariæ exprimun-

muntur, habent, cujus nimirum fragorem voce imitantur. Genus hoc eſt omnium maximum, par majoribus canibus, pilis, præſertim in facie, prælongis, ferox, tardum, una alterave ſtruma præditum. Sclopo in arbore trajectum hæret ope caudæ ramum amplectentis pendulum, dum dimiſſo ſanguine obrigeſcat. Sagittam emiſſam revellit e corpore, & in venatorem magna cum ferocia retorquet.

Genus alterum (*a*) puſillum eſt, catellumque bimeſtrem modo corporis non excedit, ut adeo circumferri in veſtium ſacculis poſſit. Colorem habet nigrum, flavum, aut rubeum, jubamque leonis inſtar perelegantem. Quæ candidæ ſunt, pilis veſtiuntur cetera breviculis, at in capite ornantur cæſarie nigra, inſtar capillamenti cujusdam promiſſa, facies tamen candida eſt; in qua ocelli cerulei mire rutilant.

Da-

(*a*) Forte *Simia Oedipus* Linn.

Damulæ aliæ ſilveſtres, aliæ campeſtres ſunt. Illæ colorem præferunt prope cineritium, nec e ſilvis facile egrediuntur: hæ molem habent minorem, coloremque fere cervorum, nec ſilvam, etiam a canibus impulſæ, facile ingrediuntur; nam paſſim in arbores, & frutices impeditiſſimos incurrunt, ac proinde parvo negotio capiuntur: at in campo aperto ea pollent currendi velocitate, ut tres interdum equos, noſtratibus hiſce longe perniciores alterum poſt alterum delaſſes, dum fugientes adſequaris, maxime ſi contra ventum, quod plerumque ſolent, currere poſſint. Carnem menſis ſuppeditant optimam, paucosque intra dies ſic cicurantur, ut intra ſepta domeſtica etiam progenerent.

Melero Hiſpanis, incolis *Ororipoari* (*a*) canis ordinarii magnitudine, cute nigra, pilis

(*a*) Veriſimiliter ad genus *Viverræ* pertinens. Clavigero in animalium a comite Buffon ignoratorum,

lis perpaucis, facie ſimiæ, plantis, unguibusque caninis, auribus exiguis, quas niſi oculis proxime admotis præ adhærente cera videre non poſſis: nam apum receptacula per ſilvas quæritat; quorum foramella dentibus arrodendo ſenſim ſic dilatat, ut pedem anteriorem commode inſerere, favumque fruſtillatim eximere poſſit: neve ab irritatis apibus male multetur, totum ſe melle, ac cera inungit, quæ cutem ipſam pervadere, ſpiculaque mordentium eludere videtur, cum nec intumeſcat, nec doloris vehe-

---

rum, aut non admiſſorum catalogo recenſet animal ab Hiſpanis *Gatto Melero* dictum. „ Eſt, inquit, „ quadrupes feli ſimile: venatur aves in arboribus „ & mel apum avidiſſime conſectatur„. Procul dubio idem eſt cum Melero Autoris noſtri; at e neutro liquet, ad quodnam ſit genus referendum.

Blumenbach in Viverrarum genere recenſet *Viverram mellivoram*, ſed quæ ad caput bonæ ſpei in Africa habitat. Handbuch der Naturgeſchichte edit. II. pag. 94.

vehementioris, uti cetera animalia, indicium præbeat. Ceræ huic ſolis, ipſiusque corporis calore ſolutæ adhærent arborum folia, cortices, & aliæ quisquiliæ, ut adeo ridiculum ſit ſpectaculum videre animal tali veſtimento undique coopertum. Ferocia pollet non mediocri; nam canem, quem dentibus arripuit, multis vulneribus ſauciat.

Beſtiam tardipedem, perfectiſſimum pigritiæ ſimulacrum, Hiſpani *Perico lihero*, indigenæ *Cſuivana* (*a*) ironice vocant, quod utrumque animal velox, atque expeditum ſonat. Agnelli recens effuſi habet magnitudinem, colore fuſco, unguibus acutis, capite ſimiæ. Veſcitur fructu, & foliis arboris *Ambaibo*. In gradiendo lentitudinem hinc æſtimes, quod pedes vix ſemel intra minutum commoveat, idque faciat vultu lugubri, mœſtisque cum gemi-

miti-

(*a*) *Bradypus*, an *tridactylus*? Linn. Veſcitur foliis *Cecropiæ peltatæ* Linn.

tibus: neque ſe, niſi eſcæ, vel potionis cauſa loco facile movet, ſed ramum quempiam pedibus complectens capite intra primores reclinato tanquam ſaccus immobilis pendet.

Genus quoddam tigridum putat Autor *felem ſilveſtrem* rectius vocari poſſe. (*a*) Modo corporis canem mediocrem refert, pelle verſicolore, ſed nigrioribus, & minoribus maculis, quam in tigride. Aves, & minora captat animalia. Si irrumpere in cortem gallinarum poſſit, ſtragem edit memorabilem, ſolo earundem ſanguine contenta.

Cuniculis redundant campi, qui noſtris grandiores ſunt, colore cineritio. Sicubi eosdem numero majore diverſari incolæ animadvertunt, ignem herbis circum circa admovent, inque cavernas trepidos com-

 pel-

(*a*) Veriſimiliter eſt *Felis tigrina* Linn.

pellunt, & lignis exitus omnes intercludunt. Materia igne undique conſumta, captivos e latibulis extrahunt, nec tamen id ſine periculo faciunt, cum viperæ quoque, & alii venenati ſerpentes in eadem hæc receptacula igne compellantur.

Huc etiam pertinent *veſpertiliones* Moxitarum tormentum, quorum non pauci columbis modo corporis æquales, aut etiam ſuperiores ſunt, dentibus armati acutiſſimis, in aere ferali cum ſtridore volitantes. Ut de innumerabili eorum exercitu ferre judicium lectores poſſint, exſcribam ipſum Autoris locum. „Negotii, inquit, „cujusdam cauſa ad Miſſionem D. Magda„lenæ excurreram, cumque ſub veſperam „penes fluvium Miſſioni proximum conſide„rem, hora nempe, qua ipſi e latebris „prodire ſolent, ſtrepitum a tergo perce„pi, qualem Auſtri illi, de quibus alibi „egi, commovere ſolent. Unde ſtatui

extem-

„ extemplo magnis paſſibus ad Miſſionem „ dictam reverti, & intra cubiculum me „ tueri. Properanti obviam facti ſunt bi„ ni Miſſionis illius Patres, &, quo prope„ rarem, quæſierunt: Auſtrum proximum „ an non audirent, repoſui. At illi ſubri„ dentes, veſpertilionum turmas e domi„ bus, ac Eccleſia egredientes indigitant, „ quos cum aſpicerem, reti aliquo tectum „ aerem mihi videbar intueri.

„Miſſionem hanc veſpertilionum copia „ alias omnes exceſſiſſe vel inde confirma„ tur, quod ſub auroram deſignati ad id „ Indi cum corbibus venire debebant, „ qui Eccleſiam, ejus ambitus, ac domum „ adjectam, quam Patres incolebant, ver„ rerent, & aggeſtos nocturno tempore „ ſtercoris cumulos corbibus ſuis auferrent. „ Statuerant Patres, ut primum rigidior „ aliquis Auſter ingruerit, partem tegula„ rum, quibus Eccleſia tegebatur, depo-

„ nere, ac latentes ſubter iis veſpertilio„ nes occidere. Quod cum feciſſent, In„ di unius duntaxat tribus acciti, cum nec „ vigeſimam Eccleſiæ partem detexiſſent, „ octuaginta prægrandes corbes occiſis ve„ ſpertilionibus impleverunt, longe plures „ impleturi, ſi multi alii non avolaſſent. „ Cumque viderent æquales corbes, unum „ elegerunt, ut occiſorum numerum ali„ quem inirent: mille viginti aliquot cor„ bis ille continere deprehenſus eſt. His „ ſi addas illos, qui in reliquis Indorum „ ædibus, qui in vicinis ſilvis degunt, ju„ dicium aliquod de eorum copia ferre „ poteris. „

Homini perinde, ac pecori infeſti ſunt, &, quod Europæis creditu difficile accidet, eſt morſus ille ſubtiliſſimus, ſenſumque pene fugiens, quo gallinas, & columbas ſomno ſopitas ante enecant, quam dentibus adpetitæ expergiſcantur. Adpulerat ſub veſperam

ſperam cum nonnullis provinciæ Præfectis ſacrorum curio Cartagenam, ceteriſque infeſtationem veſpertilionum incuſantibus, ipſe de ciniphibus unice querebatur, & comites ſuos irridebat; ceteris deinde luſu ſe ſe oblectantibus, conſedit ipſe in ſella, ac indormivit. Aderant continuo duo veſpertiliones, & ſanguinem alter e naribus dormientis, alter e raſo capitis vertice ſugere inceperunt. Accitus ad cœnam, cum non ſine cachinno adſidentium cruore undique difflueret, tunc demum querelas ſociorum juſtas fuiſſe malo ſuo credidit. Quid quod ex hiſce crebrius repetitis morſibus complures neophytos interiiſſe ipſi Moxitarum Parochi non ſemel teſtati ſint?

Maxime nihilominus diſcruciare ſolent pecora, quorum cum ſanguinem hauriunt, alarum motu auram adſpirant leniſſimam. Porro qui ex majorum genere ſunt, carnem ipſam, impreſſo notabili vulnere, di-

lacerant, ut adeo neceſſe ſit equos, & vaccas fere quotidie in ſepta cogere, ac vulnera a ſcatentibus vermibus repurgare. Pluvia imminente alarum uſu veluti deſtituti paſſim in terram decidunt, & a pueris fuſtibus perimuntur. Sed & a quodam formicarum genere, a noctuis item multa millia interficiuntur. Quis crederet eſſe quasdam Indorum tribus, quæ animal tam fœdum, & infeſtum aſſum aut elixum in deliciis habeat?

Inter mammalia in terra, & aquis promiſcue viventia primum occurrit *Danta*, vel *Anta*, Hiſpanis *Gran beſtia*, animal corporatione ceteris omnibus præſtans, vituli annui magnitudine, pedibus curtis, equi inſtar obeſum, ſed brevius, cauda præditum ad quinque aut ſex pollices protenſa, auribus grandioribus, colore cineritio, apud ſeniores in canitiem vergente, capite denique ad porci ſimilitudinem conformato.

Cu-

Cutis in tergo craſſitudinem pollicis habet. Pedes anteriores ternis, poſteriores quaternis ſunt inſtructi ungulis, quarum poſticæ terram inter gradiendum non adtingunt. Pellem ori prætenſam proboſcidis inſtar, cumprimis ſi irritetur, quaquaverſus jactat. Curſu, ut aſinus, graviore pollet. Silvas incolit fluviis, aut lacubus confines, in quibus quotidie ſe abluit. Veſcitur potiſſimum arborum ſilveſtrium fructibus; aut gramine, cum illis deficitur: rarius adparet in campis patentibus. Stomachus, & venter ſcatent examine vermium, unde forte exiſtit vulgaris illa apud incolas opinio, Antam morbo caduco ſæpius laborare, cui tamen admotis ad cor ungulis ipſa medeatur: illud quidem certum, medicorumque teſtimoniis comprobatum eſt, ungulas ejusdem morbo huic depellendo efficaces eſſe, quod ipſi ſacrorum adminiſtri non ſemel ſunt experti, qua

de re præclare ſcripſit Carvo de Samedo annis 50. in aula Ulyſſiponenſi archiater. (*a*.)

Animal hoc, quod ab Indis, niſi fame compulſis, edi non ſolet, noxium eſt plantis tritici Turcici, quas pedibus, & mole corporis ſternit, dentibusque diſcerpit. Vocem edit nullam, vehementer tamen fiſtulat, maxime cum infeſtatur a canibus, quos ut effugiat, in flumen ſe ſe præcipitem agit, atque ſub aquis non natando, ſed inambulando oberrat: emergit tamen, aeris fortaſſe reſpirandi cauſa, ſæpius, atque tunc ab Indis lancea transfoditur. Aquam utcunque exiguam adpetita nunquam deſerit, ſed ſetas in dorſo arrigit, atque proboſcidem cum horrore intuentium jactat, canemque arreptum miſere dilaniat. Si prehendere parvulam

(*a*) Eſt *Tapir Americanus* Linn. Syſt. Nat. edit. XIII, ſive *Hippopotamus terreſtris* ejusdem edit. X. Situm ungulis Autor plane contrarium adſignavit: pedes enim anteriores quaternis, poſteriores ternis ſunt inſtructi.

vulam poſſis, facile cicurabis, ita ut canis inſtar herum aſſectetur. Bezoardus in Anta concretus ceteros omnes virtute antecellit.

Ababari (*a*) canis aquaticus, menſura corporis moloſſis noſtratibus par, aquas quidem incolit, ſe tamen in riparum quoque cavernas recipit, ibique fœtum ſuum effundit. Diſcrepat autem a marino, ut vocant, lupo plurimum. Pellis eſt colore cineritio ſubfuſco, pilis minutis, ſed byſſi inſtar blandis; caput, & rictus, qualis apud Anglicanos canes, dentes acutiſſimi; cauda oblonga, ſolida, complanata; pedes breves, digiti membrana ad natandum inſtructi; aures perexiguæ. Genus hoc gregatim natat in fluviis, capiteque ultra ſummam

(*a*) *Caſtor Huidobrius* Linn. edit. XIII. Vid. etiam Molina Lib. cit. pag. 253. qui primus animalis hujus notitiam dedit.

mam aquam arrecto navigantes oblatrando diutiſſime inſequitur. Ferocia, ac viribus pollet fidem pene ſuperantibus. Spectavit Autor noſter unum a fluvio nonnihil disjunctum, & a canibus tredecim circumventum, quos ad unum omnes dilaniaſſet, niſi fuſtibus, & cultris indigenarum adcurrentium peremtus fuiſſet. Sub toto hoc certamine in pedes non conſurrexit, ſed piſcis inſtar humi ſe ſe volvit, & quaſi e meris nervis compactus eſſet, in partes omnes jactavit, canesque ictu caudæ interdum proſtravit. Si fame laboret, emergit gregatim e cavernis magno cum ejulatu, & agmen omne per totam alvei latitudinem ſe ſe veluti diſtribuit; procedit deinde, dum in majores piſces incurrat, quos junctis viribus perſequitur, captosque in ripa depaſcitur. Nullum eſt genus piſcium, quod hoſtes hos effugiat, nullum animal, quod adgredi eosdem audeat: crocodili ipſi ad agminis hujus

præ-

præſentiam exterriti in terra perfugium quærunt. Si in navicula prætereunte gallus fortaſſe cantet, vel remiges latratum eorum imitentur, concurrunt illico, & fugientes etiam horæ dimidio perſequuntur. Caro animalis hujus edi quidem ſolet, odore tamen ingrato diſſipit.

Capiguara (*a*) colore fuſco, porco grandiori adfinis eſt, niſi quod aures minores, caput vero, & os ad leporis ſimilitudinem conformatum, duosque dentes utrinque tantummodo habeat, cauda vero deſtituatur, ſicuti Fig. 1. exhibet. Herbis prope aquam veſcitur, in quam compulſus a canibus mergitur quidem, ferre tamen diu eam non poteſt, ſed paulo poſt emergit, ac e ripa ſagittis transverberatur, carnis palato ſapientiſſimæ gratia. Si domi educetur, manſueſit.

Pei-

(*a*) *Cavia Capybara* Linn. edit. XIII ſeu *ſus hydrochæris* ejusd. edit. XII.

Peirina (*a*) leporem, cui ceteroquin ſimilis eſt, ſuperat magnitudine, pelle tamen eſt coloris plumbei, maculis albis inſperſis. Cum venatores pertimuit, in cavernas, vel arbores cavas ſe ſe ſubducit, niſi lacus, in quem confugiat, in promtu ſit. Perſiſtere tamen ſub aqua nequit, ſed poſt paulo emergit, & transfigitur. Herbis veſcitur, præbetque carnem teneram, candidam, ſucci plenam, & edenti ſic arridentem, ut opinione curionum omnium nihil ſimile poſſit Europa menſis ſive e ferarum, ſive ex avium genere ſubminiſtrare.

CAPUT II.

De Avibus.

Agmen ducat, quæ Hiſpanis *Gallinazo* (*b*) indigenis *Hiha* dicitur, pavonis magnitudi-

(*a*) Veriſimiliter *Cavia Paca* Linn. edit XIII., ſive *Mus Paca* ejusd. edit. XII.

(*b*) *Vultur Aura* Linn. Privilegio per totam Americam gaudet, ut ne liceat eum occidere.

tudine, cauda deſtituta, colore in nidis candido, at deinceps aterrimo. Collum nigra cute inductum implume eſt, edique præ fœtore non poteſt. Copia ubique occurrit incredibili, nec ſine peculiari Dei providentia: nam quidquid eſt uspiam ſordium, aut cadaverum odore allecta devorat, aeremque repurgat. Inter incolarum domicilia adeo familiariter inambulat, ut cicurem, atque domeſticam crederes: genera nihilominus armorum omnia ſolicite devitat, quibus conſpectis ſe ſe momento in loca tutiora recipit.

Quid ſine his avibus faceret Paraquaria, ubi propter pelles in Hiſpaniam adminiſtrandas vel intra menſem quinquaginta, & amplius taurorum millia occiduntur, cadaveribus per campos ſparſis? Quid conſilii caperent Moxitæ iis menſibus, quibus lacus, fluviique minores exſiccantur, & putridis piſcium corporibus late omnia fœdantur?

Pue-

Pueri hanium exiguum chordæ longiori adſixum carne contegunt, inque plateam temere ejiciunt, quem advolans Gallinazo continuo devorat, & capitur: & plumis evulſis, aliſque ſolis relictis, iterum dimittitur, & tunc a ceteris roſtro confixus devoratur. Certe tam ſunt aves iſtæ carnis avidæ, ut bubulam mulis, aut hominum humeris deportatam ſine metu præſentis periculi adgrediantur, &, ne quid diſſimulem, cum Indus ventrem in propatulo pro more gentis exonerat, non dejecta modo illico diripiunt, ſed ipſam etiam ſedentis clunem crebro invadunt. Illud præterea hac aviditate adferunt emolumenti, quod tigridem, ſi forte correptum animal depaſcatur, prodant venatoribus: adſunt enim magno numero locum circumvolitantes, tigridique paſtionem convivæ non invitati rapacitate ſua reddunt laborioſam.

Par-

Partubus equarum, & vaccarum cumprimis inſidiantur. Fœtui in lucem edito oculos primum effodiunt, deinde umbilicum carpunt, tergum denique adhuc tenerum dilaniant, atque ita multos quotannis hinnulos, aut vitulos perimunt. Sed prædatio iſta in primis tantum partubus ſuccedit: nam matres periculo admonitæ deinceps fœtandi cauſa in ſilvas ſe recipiunt, nec prius inde proles educunt, quam cum jam nonnihil convaluerunt. Habent autem quaſi ducem quemdam, aut regulum *Jyocſère* pavonis noſtri habitu, plumis candidis, criſtula rubra, oculis unionum inſtar pulcherrimis. Hæc prima ſe ſe in altum tollit, cetera turba pacate ſequitur ad eam usque altitudinem, ut vel Indorum, cetera perſpicaciſſimorum, aciem effugiat, unde tanquam e ſpecula omnem perluſtrat regionem, & ſicubi cadaver piſcis, aut crocodili ſecundo flumine devehi conſpicatur, cer-

tatim adſidet, atque ita navigando epulatur. Regulus ceteris audacior oculos bimeſtri quoque vitulo effodit, cogitque lenta morte contabeſcere: ceterum tam hic, quam reliqua volucrum iſtarum familia voce penitus deſtituitur. (*a*)

Stru-

(*a*) Tametſi inſuetum non ſit aves gregarias quemdam veluti ducem ſequi, quod de Paradiſea vulgo traditur, & nos quoque in gruibus noſtris, & feris anſeribus, cum peregrinantur, obſervamus; illud tamen in genere hoc inſolens videtur eſſe, ut dux ille, ſeu regulus colore, corporisve modo a reliquo marium, atque feminarum grege diſcriminetur. Jacquin certe, qui mores horum vulturum, omnemque vivendi rationem minutatim deſcripſit, nullam peculiaris hujus reguli facit mentionem.

Ceterum cum Autoris narrationem Gilij quoque confirmet, vero videtur eſſe ſimile gregi Aurarum miſcere ſe interdum quempiam ex illo vulturum genere, quod Linneo in Syſt. Nat. edit. XIII. *Vultur Jota* dicitur, & quod primum a Molina pag. 235. fuit deſcriptum. Vultur hic colore, ac magnitudine parum ab Aura differt, ſed caput cute rubra rugoſa obductum habet, inque prima juventa albus eſt, at cum ætate ſenſim nigreſcit. Facile illum Au-

ræ

Struthio magnitudine avium omnium princeps ſi collum extendat, humeros equitis roſtro adtinget. (*a*) Juniores cineritio, adultiores albo ſunt colore, qui apud ſeniores in nigrum degenerat. Vagantur per campos paſſim, & veſcuntur locuſtis. Pluviam voce tam funeſta, & lugubri denunciant, ut nemo ſit, qui domi hoſpitem tam importunum velit alere. Capiuntur ab indigenis non tam edendi, quam plumarum gratia. Curſione ſolis cedunt campeſtribus damulis: certe præſtans ſit, oportet, ſonipes, qui fugientes conſequatur. Ova ponunt guſtui arridentia, & prægrandia, uſibus iisdem, quibus apud nos, quæ

---

ræ ſua in ſocietate patiuntur, cum fœtore, ceterisque moribus maxime cum iis conveniat. Videmus certe nos etiam quotidie gregi corvorum cornices, ac monedulas comites ſe jungere, cumque iis familiariter verſari.

(*a*) Eſt *Struthio Rhea* Linn. diſtinctus ab Africano pedibus tridactylis, cum Africanus pedes habeat didactylos. Vid. etiam Molina Lib. cit, pag. 232.

gallinæ ſuppeditant, deſervitura. Super temere congeſtis herbis enititur unicus etian ſeptuaginta, partim incubatione, partim ſolis calore excludenda. Ut primum incubare cœpit, ovum unum extra nidum ſeponit, illudque pullis jam excluſis pertundit, ut ſcilicet muſcis, aliisque inſectis fœtore allectis paſci tenelli poſſint. Arma ſtruthio, quibus hoſtem impetat, nulla habet, ſola pedum velocitate ſecurus.

Ad hoc genus volucrum revocat Autor aves quasdam minores pavonis magnitudine, quas Hiſpani *Phaſianos* pro arbitrio vocant, cum ceteroquin nihil plane cum his commune habeant. Idem his, qui ſtruthionibus majoribus, cibus, eadem pene currendi velocitas, niſi quod citius delaſſentur. Evolant interdum ad arboris mediocris altitudinem, verum perſequentes fuga potiſſimum eludunt. Roſtrum, & pedes rubent, plumæ colorem præferunt

plum.

plumbeum, albo intermixtum. Cibum indigenis gratum ſubminiſtrant.

Condor accipitris genus, altiſſima alpium Peruanarum juga incolit, tantarumque perhibetur eſſe virium, ut vitulum unguibus correptum e ſubjectis vallibus in ſummos montium apices deferat. Verum fides ſit penes alpium accolas, qui iſta perhibent; Autor enim noſter monſtrum hoc avium nunquam vidit. (*a*)

Coremo expanſis alis ad duas, & dimidiam ulnas pertinebit: candidus eſt totus, niſi quod circa caput rubra quadam exornetur faſcia. (*b*) Pedes habet præaltos, ca-

(*a*) *Vultur Gryphus* e maximis aeriis incolis. Vultures hi vitulum non abripiunt, ſed ſiquem a matre longius ſejunctum deprehendunt, plures in illum plerumque præcipites irruunt, alis expanſis contegunt, oculos effodiunt, & in loco ipſo dilaniant. Vid. Molina Lib. cit. pag. 237.

(*a*) Idem videtur eſſe, quem Gilij, neſcio qua de cauſa, *Picorum Regem* adpellat, Hiſpani vero *Soldato*

caput nigrum roſtro terribili inſtructum, quo piſcem luciis noſtris maximis æqualem abripit, quem ſi ad ripæ marginem deprehendat, primum roſtro clauſo ſpinam dorſi elidit, deinde adprehenſum devorat. Nidum mediis in campis e gramine congerit, herbasque ad decem, vel undecim paſſus circum circa omnes evellit, atque ita ova ab incendio omnia undique depaſcente, perque arefactum gramen in immenſum ſerpente, præſervat.

Pavonum agmina in iis potiſſimum oberrant ſilvis, quæ arbore cacao abundant; nam-

---

dato vocant, forte propter corporis molem, & pedum proceritatem; aut propter greſſum gravem, & quaſi ad numerum compoſitum. Avis hæc triginta vel quadraginta libras adpendit, habetque tam collum, quod prælongum eſt, quam caput nigra pelle conveſtitum, qua Hiſpani pro ſacculo tabacæ fumo deſtinatæ (Dohány-zsatskó) utuntur. Quantum ex imperfecta utriusque Autoris deſcriptione conjectare licet, videtur eſſe *Mycteria Americana* Linn. quacum cetera congruit, niſi quod Linneus Mycteriam nidum in proceris ſtruere arboribus adſerat.

nam nucleos, e quibus chocolata conſit, cumprimis amant. (*a*) Varia ſunt magnitudine, edules omnes. Sapore ceteris, corporisque modo *Guacui* eminet. Mas colore nigro, & criſta e plumis concreta ſubtiliſſimis ſe ſe diſcernit, pedibus duntaxat, ac roſtro rubentibus: femina tigridis inſtar verſicolor eſt. Ille vocem tigridis noctu perfecte imitatur. Genus hoc facile manſueſcit, & domi quoque propagatur. (*b*)

Pſittacorum infinitus eſt numerus & varietas, mira colorum vividiſſimorum elegantia. Minimi paſſeres noſtros haud ſuperant, nec fere quidquam loquuntur. Qui e majoribus maxime dociles ſunt, colorem habent viridem, in ſummo tamen vertice flavum, eundemque in extremis alis rubro tinctum: alii, duntaxat garruli, alas præſeferunt vio-

(*a*) Pavo eſt Aſiæ, Africæque indigena; ſed *Crax* Americam incolit.

(*b*) Veriſimiliter *Crax Pauxi* Linn.

laceas. *Horo* omnium maximus æquat gallinas, colore purpureo, ſi alas demas, parte interiore auri inſtar fulgentes. Cauda octo, decemve plumis ruberrimis, ad ſpithamas duas protenſis conſtat, quibus indigenæ frontalia ſua diebus ſolemnioribus exornare ſolent. At aures obtundit raucedine. Sunt etiam alii eadem magnitudine, colore cetera cæſio, ſed infra alas, & in pectore ad flavum vergente. Cum vero Indi rubro maxime delectentur, eundem arte quoque procurare norunt. Pſittacis nimirum ceruleis plumas e cauda, aliſque evellunt, & cutis nudatæ foramella ſucco bufonum replent, neve difluere poſſit, cera oblinunt: hoc pacto adſequuntur, ut plumæ denuo ſuccreſcentes ſint ruberrimæ, neque deinceps degenerent. (*a*)

Per-

(*a*) Ars plumis avium colores, natura ipſa operam adjuvante, conciliandi videtur pluribus in America populis eſſe familiaris. „ Indi ad fluvium *Oyapok*,

Perdices tam ſilveſtres, quam campeſtres colore, & carnis inſuavitate a noſtratibus vehementer diſſident; priores tamen pennis præditæ ceruleis cibum præbent aliquanto ſuaviorem.

„ *pok*, inquit Condamine, norunt artem Pſittacorum „ plumis colores novos indendi: his enim leniter e„ vulſis, plagas ranarum quarumdam ſanguine im„ buunt. Forte autem arcanum omne in eo ſitum „ eſt, ut partes, in quibus pennas coloratas obtine„ re velis, acri quodam liquore percurras: forte „ neque hoc, neque alio opus eſt medicamenti gene„ re, ut idem conſequaris. Nam quid inſolentius? „ an videre pro viridibus, quas avi evulſeris, plumis ru„ beas, flavasve ſuccreſcere? an, quod in dies expe„ rimur, in equi cicatrice candidos pro nigris pilos „ ſuccedere? „ Beſchr. einer Reiſe in das innerſte der Sud-America pag. 308.

Verum vix erit, qui ſibi perſuadeat, Indos absque medicamenti cujusdam uſu plumas coloris certi, ac determinati ex avi elicere, & rem, cum rubeum præcipue colorem deament, fortunæ unice committere. Diligentiſſimus naturæ indagator Reaumur narrat Italis aucupibus in more eſſe, ut coturnicibus tempore verno pennas evellant, ſeque in gallinarum plumis idem feciſſe experimentum, nihil tamen de coloris mutatione in plumis ſuccreſcentibus meminit, quod facere vir diligentiſſimus non utique intermiſiſſet.

Accipitres alii avibus, alii piſcibus nutriuntur. Illi menſibus, quibus campi incendi ſolent, cortibus admodum infeſti ſunt: hi tametſi præ altitudine cerni in aere vix poſſint, ut primum tamen piſcem aliquem in aquis conſpicantur, fulminis inſtar præcipites irruunt, ac ungue correptum in arborem proximam deferunt.

Quæ Indis *Tarara* (*a*) nobis corvus aquaticus dici poteſt, tanta occurrens ubique copia, ut ipſa interdum arborum folia contegat: in fluviis, & lacubus omnibus die tota piſcatur. Demergit ſe ſe, atque infra aquam etiam contra torrentis curſum tanta fertur rapiditate, ut piſces adſequatur, captoſque proxima in arbore depaſcatur.

Quanta in hac camporum immenſitate, lacuumque, & fluviorum frequentia *Ana*-*tum*

(*a*) Ad genus *Pelecani* pertinens.

tum eſſe multitudo debeat, facile cogitatione quisque adſequetur. Maximæ ab Hiſpanis *Reales* (*b*) ſeu regales dicuntur, ſuperantque anſeres modo corporis, colore nigro, at ſub alis candido, carne arida, & aſpera: ceteræ blandiores ſunt. Tanta harum ubique obverſantur agmina, ut ſolem nonnunquam eripere videantur, clangore incredibili, atque colloquentibus, cum ſe mutuo vix intelligant, permoleſto. Indus earum greges in campis ſæpe invadit, & equo deſiliens fuſte maximam ſtragem edit, cum ſcilicet mutuo ſe ſe impedientes omnes ſimul avolare nequeant.

Le-

(*a*) Anates has (*Patos Reales*) Molina ſic deſcribit: „Anas caruncula compreſſa, corpore ceruleo, „ ſubtus fuſco, torque albo, anate boſchade (vulgari „ noſtra) multo major. „ pag. 206. Noſter colorem ceruleum obſcurum non videtur a nigro ſatis diſcreviſſe, in ipſa etiam corporis mole diſſentit. Ceterum plures autores anatis hujus meminerunt, quin legitime eandem deſcripſerint: Molinæ tamen cenſemus plurimum eſſe deferendum.

Lekeleke, alias *Terotero* mole columbæ, pedibus rubris, colore cineritio, ſed plumis candidis intermixto, in exteriore alarum parte armatur unco quodam oſſeo. (*a*) Anatum comes individuus, & noctu, diuque quodammodo cuſtos, ſi minimum exaudivit ſtrepitum, aut venatorem a longe vidit, conclamat illico, & anates de quærenda ſecuritate quaſi admonet, ut adeo incolæ pro anatum, & gallinarum ſuarum tutela eundem domi interdum educent. Quodſi anates ſe ſe proripere cunctentur, circumvolitando ſuis illis uncis modo anates, nunc caput ipſius venatoris impetit, dum denique avolando periculum effugiant. Nidos in campo patente prope aquam conſtruit, quibus Indi ſtudioſe ſolent

(*a*) Indubie ad *Parras* Linnei pertinet. His, quæ Autor de hac avi narrat, ſimilia refert Jacquin de *Parra Chevaria* Linn. & Molina de *Parra Chilenſi*, quæ tamen, collatis inter ſe deſcriptionibus, diverſæ ab hac noſtra ſpecies ſunt.

lent inſidiari; raro tamen deprehendunt pullos; nam mater nunquam in eorum vicinitate, ſed loco remotiore conſidet, ne quærentibus præſentia ſua indicium faciat.

Turdum vocant Hiſpani avem undique nigram, Europæis grandiorem, in palmis ſummisve domorum faſtigiis nidos componentem. Cicuratur facile, eſtque multum facetus, & ſimiis interdum nequior, avesque Americanas omnes cantu excellit. (*a*)

Jabirei paſſeribus noſtris garrulitate, audacia, & reliqua indole non multum diſſimilis, qua etiam de cauſa nomen iſtud, quod diaboli avem ſonat, accepit. Pluviam diei inſequentis, cœlo etiam adhuc ſereno, ſic

(*a*) Videtur eſſe *Turdus Curæus* Linn. Syſt. Nat. edit. XIII. Molina, cui prima avis hujus deſcriptio cum hac noſtra conſentiens debetur, id præterea addit, carnem ejusdem ad oſſa uſque nigram eſſe.

ſic annunciat, ut ejus præſagia rariſſime fallant. (*a*)

Cobé, ſeu *canis*, turdo minor, plumis nigerrimis, plerumque gregatim ſturnorum more pervolitat. Canis vocabulum idcirco obtinuit, quod latratum ejusdem voce ſatis naturaliter exprimat, atque tigrides inſectetur, quibus occurrentibus latratus ille eſt continuus, & longe quidem vehementior.

Icſare, (*b*) Autori noſtro *Rhinoceros* avis eſt ſat grandis, plumis vero detractis corporis exigui, pellem quaſi vento inflatam, & pediculis undique exuberantem carnis loco exhibens. Socialiter circuit, nidosque in arborum verticibus conſtruit. Os in fron-

te

(*a*) In inſulis Guadaloupe, & Martinica *Diabolum* vocant avem gallinæ magnitudine, pedibus palmatis, brevibus, roſtro recurvo; quod idcirco notamus, ut adpareat nihil eſſe in hiſtoria naturali regionis cujusdam deſcribenda nominibus vulgaribus tribuendum.

(*b*) Eſt *Palamedea*, ſed an *cornuta* Linnei?

te gerit quatuor circiter digitos longum, calami ſcriptorii craſſitudine, colore ſubobſcuro, cujus vim in medicinis conficiendis rerum Americanarum ſcriptores deprædicant.

Ineari, quod aquæ adpetentem ſignificat, ſilvas quidem incolit, aquam tamen proximam iter in calida illa regione facientibus certiſſime indicat: tametſi autem corporis modo carduelem noſtram non excedat, ſibilum nihilominus edit ad leucæ quadrantem facile exaudiendum. Lingua ſerrulæ refert ſimilitudinem, e qua ramuſculi tenues tanquam e plumula utrinque prominent. (*a*)

Fa-

(*a*) Eadem fortaſſe eſt, quæ in Paraquaria *Guirape*, id eſt *avis ſonora* adpellatur, quæque, tametſi mole exigua, ſonum tamen æris campani inſtar ſatis vehementem edit. vid. Charlevoix Hiſt. du Paraquay l. 7. Referri fortaſſe poteſt ad genus *Ramphaſtos* propter linguæ conformationem, quæ generi huic propria eſt. Quia tamen Autor roſtri ultra modum magni non meminit, rem in ambiguo relinquere cogimur.

Fabrum lignarium vocant Indi aviculam mediocrem roſtro ſolido, plumis conveſtitam elegantiſſimis. (*a*) Sectatur arbores a certo formicarum genere exeſas, per quarum truncos recta aſcendit, ſcrutando foramina formicarum, quæ cum deprehendit, roſtro tanto cum ſtrepitu pulſat, ut fabrum lignarium ſua in officina perſtrepere credas. Formicas ad tumultum confertim effuſas maxima cum voluptate ligurit.

Sirapuki, quod genti ventum vehementem ſonat, eſt avicula paro non major, quæ dum alis volat explicatis, nullum plane edit ſtrepitum: at cum easdem vibrat, aerem illo cum ſtridore findit, quem virga contra

auram

(*a*) Eſt *Picus lignarius* Linn. de quo Molina hæc ſcribit: „Tametſi avis hæc turdo paulo minor ſit, „ roſtro tamen prædita eſt tam valido, ut non in ſiccis modo, ſed in viridibus etiam, vivisque arboribus foramina excavet, in quibus nidum ſibi conſtruat. Unde multas enecat arbores fructiferas„. Lib. cit. pag. 209.

auram celerrime mota ciere ſolet. Unde cum agmen integrum prætervolat, vehementioris venti imaginem auribus imprimit.

Honore volucris nigra, columbæ magnitudine, roſtrum habet aduncum corpore ipſo fere prolixius, & craſſius, colore nigro, flavo, & rubro permiſtis, unde quidam pyxides, alii capſas pulveri pyrio adſervando tornare ſolent. Effigiem ejusdem fig. 2. exhibet. (*a*)

Picaflor Hiſpanis dicta minima eſt omnium, quas Noſter unquam vidit, nomen inde ſortita, quod ſucco florum veſcatur. Colores habet fere omnes mira varietate permiſtos, eosque elegantiſſimos. Minuta eſt adeo, ut unciam una cum plumis vix adpendat. Rariſſime conſidet, ſed de flore in florem aſſidue pervolitat. (*b*)

Sunt

(*a*) Etiam ad genus *Ramphaſtos* Linn. pertinet.

(*b*) Vulgo dicuntur *colibri*, & ad genus *Trochili* Linn. omnes referuntur.

Sunt præterea aviculæ, quæ vaccis, equisque inſidentes ex eorum ulceribus vermes excipiunt: ſunt contra minores accipitres, qui vulnera evulſis circum carnibus augent, & exasperant, ut adeo miſera hæc jumenta interdiu in ſilvis cogantur latitare, neque ad paſturam egredi, niſi nocte concubia, audeant. (*a*)

Digna ad extremum eſt animadverſio, non Autoris modo noſtri teſtimonio, ſed omnium univerſe viatorum voce confirmata, qua caput hoc de avibus concludamus: duplex

---

(*a*) Aves hæ *Crotophagæ* Linn. acaros ricinos, pecora hæc dire divexantes conſectantur, & a jumentis hiſce adeo non repelluntur, ut tauri etiam ferociſſimi, caudæ leniter motæ indicio, ſeſſores ejusmodi gratiſſimos ſibi eſſe teſtentur; quin feruntur etiam procumbere, ut iis omnia ſcrutandi ſuppeditent occaſionem. Idem fere apud nos corvi, cornices, & ſturni officium præſtant. Quæ autem vulnera, carnibus revulſis, augere dicuntur, fortaſſe non carni pecorum, ſed larvis oeſtrorum inhiant, quæ cum ſæpe ſub cute profunde lateant, ſine vulneris exaſperatione protrahi non utique poſſunt.

plex nimirum Europæas inter, & Americanas diſcrimen intercedere. Imprimis enim nullum omnino eſt in Europa genus, quod in America perinde reperiatur: nam tametſi quædam, uti turdi, perdices, pavones communi gaudeant nomenclatione, ſemper tamen eſt maxima in voce, colore, magnitudine, ac ſpecie ipſa diſſimilitudo. Deinde noſtratibus cantum, atque vocis amoenitatem; Americanis contra pulchritudinem, & miram colorum varietatem mater natura contulit. (*a*)

(*a*) Quæ de naturæ providentia Autor iſthic meminit, valent fortaſſe apud Moxitas: univerſe autem in America vix obtinent. Certe Molina, Gilij, cumprimis autem Clavigero contendunt aves in America reperiri cantu luſciniis noſtris conferendas. In his præcipue numerant *Turdum polyglotton* Linn. & *Loxiam Cardinalem* ejusd. vid. Clavig. Storia antica del Meſſico T. I. pag. 89. Gilij Sagg. di Storia Americ. T. IV. pag. 292. Quid quod ipſe Buffon, cetera cantum avium Americanarum plurimum vituperans, non diffiteatur vocem Turdi polyglotti eſſe ſuaviſſimam?

CAPUT III.

De Piſcibus.

Primum inter piſces locum illi dabimus, cui Moxitæ *Hiboi*, Hiſpani *Buffeo* nomen indiderunt, candido ſcilicet, ac ſæpe ultra quinquaginta libras adpendenti, qui gregatim innatat in fluviis, & aquam naribus efflat. Os fere acipenſeris, ſeu ſturionis, dentes autem habet acutiſſimos. Inſectatur genus omne piſcium iisque caudam, & pinnas cum tanta undarum commotione reſecat, ut lintribus minoribus præſentiſſimum adferat naufragii periculum. Carnis vix quidquam habet, idque fœtidum. Luſitani cum oleo amygdalorum, quod e palmarum cocis eliciunt, deſtituuntur, piſcis hujus pinguedine lumen ſolent alere.

Inter nobiliores reputatur *Paku*, ſeu *Cſaiy*, triginta, & amplius librarum, ſquamis veſtitus pulcherrimis. Veſcitur fructi-

bus

bus certarum arborum in aquam decidentibus. Hamum, quo capi ſolet, niſi conſiat e duro chalybe, comminuit dentibus ad equinorum ſimilitudinem plurimum accedentibus. Caro, quam menſis præbet, bubulam imitatur. Sæpe ſic eſt famelicus, ut hamum nondum demerſum e ſumma aqua proſiliens devorare velle videatur.

Struthionem aquaticum vocant piſcem, quem Noſter videre extra aquam nunquam potuit, intra quam ea eſt agilitate, & velocitate, ut capi nulla potuerit arte. Corporis conformatione ſtruthionem non inepte refert: deſcribi tamen haud poteſt, cum nonniſi prætervolans fuerit ſub aquis ab Autore viſus.

Maſena nomen ſtolidi e re ipſa habet, totus fere caput eſt, librarum nonnumquam quadraginta, ventre flavo, ac tergo fuſco, ſolis indigenis præbens epulum. Poſtquam cum eſca hamum voravit, non ſe loco com-

movet, ſed trunci cujusdam inſtar immotus hæret, hamumque retractum ſine repugnantia ulla ſequitur. Stridet quemadmodum janua, cujus cardines non unguntur. Si chorda dirupta ſe ſe cum hamo faucibus inhærente liberet, alterum oblatum pari facilitate arripiet, &, ſi a piſcatore fuſte mulctatus abjiciatur, tamen tertium quoque hamum ſimili ſtoliditate abliguriet.

Torpedinem barbari *Acſanepi*, (*a*) ſeu cingulum genii illius *Acſanei* vocant, quem illi rebus omnibus ineſſe & præeſſe arbitrantur. Serpentis potius, quam piſcis habet ſimilitudinem, maxima hominis mediocris brachium æquat craſſitudine, cum binarum ulnarum longitudine, colore fuſco: ſunt tamen etiam breviores, & graciliores flaveſcentes, ceterum anguillæ multum adfines. Oculis membranæ quædam, inſtar auri-

(*a*) *Gymnotus electricus* Linn.

auricularum, imminent, quas etiam extra aquam movent diutiſſime, at pinnis deſtituuntur. Cavernas riparum amant, nec palato diſſipiunt, ſed nimia pinguedine ſtomachum plerumque movent.

Siquis eosdem vel digito adtrectaverit, ſentiet in toto corpore, cumprimis autem in brachio, talem ſuccuſſionem, & a minoribus quidem majorem, qualis a lagena electricitate imbuta imprimitur: ictus autem iſte tunc eſt violentiſſimus, cum inter vibrandum membranas illas oculis imminentes commovent. Idem plane experiuntur, qui illas pedibus calceatis, baculo, aut manu panno inducta contingunt. Indi piſcatoris hamum torpedo arripuit, at ille ſuccuſſionem per chordam, & baculum propagatam excepit tantam, ut in terram nihil tale metuens corruerit. Alius ſagitta eam tranſixit, cumque trajectam ſocius, adprehenſa ſagitta, ex aqua ſuſtollere vult, pe-

de in eandem impegit, & adeo concuſſus fuit, ut pronus in fluvium procubuerit. Eadem eſt in equis, & canibus experientia: certe cum die quadam canes cumulum torpedinum in ripam ejectarum temere calcarent, continuis earundem ictibus ſic divexabantur, ut aerem ululatu non aliter, quam ſi fuſte cæderentur, compleverint.

Sed & piſces, reti una cum torpedine concluſi, vim prorſus eandem perſentiſcunt, & vicibus repetitis ſic exiliunt, ut ſaltare intra rete crederes, id quod interdum etiam ſine ejusdem adtactu evenire videtur. Cum enim piſces retibus magno numero exemti funiculis in cimba deligarentur, adjectis torpedinibus, omnes, tametſi ab iisdem disjuncti, motitare ſe ſe, torquere, atque ſubſultare cœperunt. Contra accidit in hominibus; ſi enim bini manibus ſe ſe prehendant, ille duntaxat ſuccutietur, qui torpedinem adtrectaverit, nec ullus ho-

mi-

minum quidquam ab eodem unquam patietur, qui illum nulla corporis ſui parte, vel inſtrumento adtingit, diſcrimen iſtud indigenis ipſis demirantibus.

Autor cum ſciret ſenſum iſtum permoleſtum quidem, at ſolum momentaneum, & innoxium eſſe, ſæpe obfirmavit animum ad piſcem hunc e terra ſublevandum, ſed irrito ſemper conatu, cum nervi digitorum velut obtorpentes officium negarent, atque adprehenſum dimittere cogerent. At neque indigenis, ut ut crepundiis, quorum ſunt cupidiſſimi, variis propoſitis, res unquam ceſſit e ſententia. Advenerant die quodam cum Præfectis duæ militum Hiſpanorum centuriæ, adverſus Luſitanos educendæ, quibus Noſter bonam ſacchari portionem addixit, ſiquis piſcem reti adducendum comprehenderet, ac elevaret. Riſere conditionem, cum viderent torpedinem opinione ſua longe minorem. Verum Præ-

fectis ipſis necquidquam inſtantibus omnes, quotquot tentamen adgreſſi fuerunt, conatus deſtituit; feriebantur enim non ſine adſtantium cachinnis ita, ut repetitis tentaminibus brachia pene obrigeſcerent. Inventus tamen fuit e vicinia ſacer curio, qui torpedinem impune tractavit, & propterea a Moxitis *Motire*, ſeu Acſanæ cliens proclamabatur. Siquis alter in illius manibus eandem tetigit, conſuetam ſalutationem reportavit.

Cſiagnanaina, Luſitanis *Piratinga* mole, piſces Moxitarum omnes ſuperat, ac libras non raro quadringentas adpendit: ventrem habet candidum, dorſum cineritium, caput adplanatum, longitudinem quatuor fere ulnarum, carnem palato ſapientem. Hiſpanus quidam cum irretitum retinere manu haud poſſet, funem retium corpori ſuo circumligavit; at e navicula dereptus momento diſparuit. Moxitæ funem remo in

aquam

aquam injecto adnectunt, & ab irretito abripi ſinunt, navicula vero, viam remo indicante, tam diu inſequuntur fugientem, neque conquieſcere uſpiam patiuntur, dum delaſſatum denique ad ripam nullo negotio pertrahant.

Idino, qui Hiſpanis *Raja* dicitur, formam orbis inverſi refert, ulnam diametro interdum adæquantis, cauda rotunda, nec raro ſesquiſpithamali, robuſtis armata aculeis, prope cujus extremum ſpina comparet quædam oſſea duorum, triumve pollicum, quam in partes omnes verſat pro arbitrio; maritima genere hoc armaturæ caret. Delectatur in fluviis arena, in qua demergit ſe ſe; ſi fundo inſidentem, hamoque captam inde coneris avellere, funem ante rumpes, quam avellas: at, ſi cutem, qua terræ adhæret, tantulum commoveat, jam vel a puero facile ſuſtolletur. Aculei caudæ inſidentes videntur veneni quid-

quiddam continere; nam qui pede nudo eosdem calcant, doloribus ſolent divexari. Siquis autem ipſum Rajæ corpus calcavit, ſpina illa oſſea ſubitæ caudæ vibramine ſic feritur, ut ſanguinem fundat, acutosque inter dolores febri vehemente corripiatur, ac ſe deſperati inſtar in terra volutet. Unde incolæ malum hoc ſemel experti, ſi flumen vado transeundum ſit, fundum ſagitta, vel baculo ante pertentant, ut latentem in via hoſtem in fugam agant.

Verum Indi ſicuti plerumque reſides, ita viciſſim ſunt temerarii, nec vel ſuo periculo ſapiunt: certe Autor ipſe complures novit, qui ab ictu Rajæ vita tota claudi ſunt effecti. Siquis vulnus ab eadem accipit, quatuor ſæpe menſibus lectulo adfigitur, nec aliud vulnerum genus difficiliorem habet curationem: nam caro circum tota induratur, coloremque trahit lividum; ſenſu omni, ſive pungatur, ſive u-

ſtule-

ſtuletur, deſtituta. Malum tamen omne impeditur, ſi pars icta continuo exſugatur, aut herba, quam indigenæ itidem Idino vocant, vulneri accepto adligetur. Juvat etiam allium contuſum, piperisque pulveres.

Moxitæ contendunt ſpinam illam oſſeam a Raja perdi, ſi hominem vel ſemel eadem feriit. Verum Autor noſter, tametſi complures ſpina illa deſtitutas deprehenderit, adſerere tamen non audet illud allata de cauſa eveniſſe. Ceterum Rajam homini admodum infeſtam eſſe dubitari non poteſt. Nam cum piſcator ſagitta transfixam effert e fluvio, bis aquam iisdem veſtigiis ingredi, vel egredi non audet: adcurrentes enim aliæ in prætereuntis veſtigiis arenæ ſe ſe continuo immergunt, & reduci quaſi inſidiantur, quod ipſum Autor annis compluribus fuit expertus. Aculeum, ſæpe jam commemoratum, Moxitæ

ſagit-

ſagittis ſuis præfigunt, ſique dentium dolor e corrupto ſanguine proveniens quempiam diſcruciet, gingivam eodem compungit, cruorem elicit, ac malum plerumque tollit.

Orimo, vel, ut Hiſpani nominant, *Palometa*, piſcis eſt mediocris, latus, dentibus præditus pyramidis inſtar angulatis, undique acutiſſimis, ac ſibi tam arcte cohærentibus, ut per eorum intercapedines ne aquam quidem tranſire poſſe credas. Alii auri ad inſtar fulvi, alii rubri, alii denique cerulei ſunt, omnes ad palatum, ſed ſpinarum multitudine moleſti, ac edentibus periculoſi: hamis ſolent in fluviis arenam vehentibus prehendi. Carnem tantopere adpetunt, ut locus, piſcationi cetera opportunus, vel ob unius præſentiam deſerendus ſit, cum carnes ex hamis omnibus diripiat, immo chordam ipſam odore carnis imbutam dentibus, tanquam forficibus quibusdam,

re-

reſcindat. Sæpius piſcem etiam majorem ex hamo pendentem, niſi celeriter educatur, ſic devorat, ut nonniſi oſſium compages extrahatur. Vidit Autor, cum equus bubula onuſtus per flumen ageretur, portionem carnis intra aquam dependentem ex integro devoratam fuiſſe. Nonnunquam fauces jumentorum, aquam in fluvio haurientium, fœde dilaniat. Palmum Indi, cervi inteſtina lavantis, ſpectante Noſtro, tam ſubtiliter abſcidit, ut malum ne ipſe quidem ſenſerit, niſi cum aquam cruor tingeret.

Mothyo anguillarum genus, ſpithamam vix excedens, præcipuum inter piſces minores locum obtinet. Incolit riparum, vel fundi ſaxei foramina, nec inde ob metum Palometarum, niſi de nocte, egreditur. Solet manibus piſcantium e latibulis protrahi, at non absque periculo; partim propter torpedinum ictus: partim quia *Mothyo* binis prope caput inſtructus eſt uncis, quos neceſ-

ceſſe eſt caute adprehendere, & comprimere, antequam extrahatur; nam ſi manum prior ipſe adprehendat, eam piſcator vel nunquam, vel non niſi revulſis carnibus educet.

Anguillæ regionis, vix nomine hoc dignæ, id habent peculiare, quod fervente æſtate indigenæ mediis in campis easdem in profunditate duarum ulnarum absque ullo aquæ veſtigio latitantes effodiant. (*a*)

Cacánepo, quod piſcem verminoſum ſignificat, nunquam apud Moxitas antea viſum, retibus ab Autore contextis neophyti ceperant. Piſcis eſt trutæ communis inſtar exiguus, cute lurida, & colore ipſo neſcio quid ſqualoris prodens. Quacunque manu pre-

(*a*) Hinc jam intelligi facile poteſt, cur lacus quidam, qui per vices exſiccantur, piſcibus nihilominus rurſus abundent, ut primum aquas poſt pluviam diuturnam iterum receperunt, quod phænomenon a pluribus jam obſervatum non ita facilem habere explicatum videbatur.

prehenſum vertas, ſtillat ſpiſſo quodam phlegmate, neque retineri poteſt, adeo eſt lubricus. Sed nihil fœdius, quam vermiculi circa pupillæ globum, & in cantho oculi infra primam ejusdem tunicam oberrantes.

Pihore trutæ majoris mole, ſolum præ copia vilis, lacus plerumque incolit, quos ſi deficere, ſiccari, vel etiam infici animadvertat, primo mane, adjuvante herbarum roſcidarum lubrico, ad vicinum quempiam aquis abundantem lacum, aut proximum fluvium terreſtri demigrat itinere. Sæpe tamen in via iſta proditur ab avibus prædæ inhiantibus, & fuſte ab Indis grex integer ſternitur.

Eſáne genus minimum, & pygmæum, multitudine innumerabili: cochleari uno vulgari quinquaginta e lance eximas. Dum campi deſiccari incipiunt, in fluvios turmatim ſe recipiunt. Verum incolæ ſepes iisdem ex herbis præſtruunt, anguſtis duntaxat

aliquot hiatibus relictis, quibus fiſcellas e tenaciori graminum genere contextas prætendunt, ac intra horam ſaccos frumentarios complures iisdem replent. Frixi multum arrident. Quia vero neque omnes ſimul abſumi, neque conſervari poſſunt, torrentur, inque pulverem redacti, & pani, ſeu farinæ tritici Turcici admiſti, comeduntur. (*a*)

De *Etenáripo*, piſciculo ſcilicet in mulieres balnea incaute frequentantes ſe ſe inſinuante, easque doloribus acerbiſſimis divexante, Autor experientia propria deſtitutus nihil certi audet adfirmare; fatetur tamen

(*a*) Genus hoc pygmæum fortaſſe ipſiſſimum eſt, cujus Ulloa meminit, & in Peruvia *Chiches* adpellari dicit. Piſciculi hi ne dimidiam quidem adæquant lineam, cribrisque junceis copia incredibili ex aquis hauriuntur, & prelo ſubjecti in tabellas efformantur, quæ fumo imbutæ in condimenta ciborum adſervantur. Lib. cit. T. I. pag. 163.

men rem a compluribus Peruviæ incolis haberi prò conteſtata, & indubitata. (*a*)

CAPUT IV.

De Amphibiis.

Principem in claſſe iſta dabimus locum *Crocodilo*, lacertis noſtris haud abſimili, niſi quod caudam habeat minime rotundam, ſed remi cujusdam inſtar complanatam, cujus ope natatione gaudet expeditiſſima. Solet ab indigenis pro coloris, & magnitudinis varietate in tres veluti familias tribui: minimam duas longam ulnas, caudaque præditam palato ſuaviſſima adpellant *Catipana*, mediam *Candire*, quæ propria eſt Hiſpanorum *Caiman*, colore fere nigro, & obeſo cor-

(*a*) De piſcibus nihil fere potuit determinari, quod ordines, & genera e numero, & ſitu pinnarum ſoleant definiri, de quibus tamen Autor ne meminit quidem.

corpore: maximam denique *Cadireina*, corpore ad quatuor, aut etiam ſex ulnas prolixo, animal horrendum, ferox, graveolens, homini perinde, atque ceteris animantibus infeſtum. (*a*) Dentes Autor inferne ſexaginta duos, ſuperne duobus pauciores numeravit. Rictus puerum quadrimum facile comprehendit. Ad latera gingivæ inferioris, uti & ad marginem ani duos habet ſacculos ſpecie carnis cujusdam mollioris, quos Indi ſiccare primum in aere, deinde fortiſſimo quodam cremato elutos ſolent in pulveres comminuere, hos autem Limani veſti-

(*a*) Catipana videtur eſſe *Lacerta Iguana* Linn. Autorum omnium teſtimonio innoxia; & carne optima. Candire eſt *Lacerta alligator* Linn. De Cadireina incertum eſt, ſitne ſpecies a Caiman diſtincta. Ceterum quos Americani univerſe crocodilos vocant, diverſi ſunt a genuinis Africanis: duo tamen poſtremi a Noſtro commemorati ferocia Africanis non cedunt. Genus hoc apud Abipones, teſte Dobriczhofer, innoxium eſt.

veſtimentis, ſcriniis, cibis ipſis, ſuisque adeo corporibus odoris cauſa adſpergere: ambram enim crocodilus redolet, cujus vehementia advenas offendit, nec ab ulla Indorum natione caro ejusdem concupitur.

De cibo, quo utitur, definite nihil poteſt Autor dicere, cum in ejusdem abdomine nunc gramen terra permiſtum, alias ligna putrida, ſemel tigridem deprehenderit. Piſcibus quidem certe, quos adſequi natando nequit, raro veſcitur, ſed nec aliud quidquam prehendere ſub aqua poteſt, niſi ultro ad ingluviem deferatur. Æſtate plerique alte infra terram demerſi deprehenduntur; neque tamen facile divines artem, qua ſe ſe tam alte ſepeliunt, duobus duntaxat ſpiraculis ori ſummo imminentibus, atque latentes prodentibus, agmine item papilionum ad fœtorem, exſpiratumque oris halitum advolante indicium ſepultorum faciente. An autem tunc genere quopiam

eſcæ ſpatio quinque menſium veſcantur, quis definiat? (*a*)

Curſu hominem in terra adſequuntur, non item canem, vel equum. Nullo tamen negotio effugiet perſequentem, ſiquis flexibus currat tortuoſis, cum propter dorſi rigiditatem deflectere de via recta non niſi lente poſſit: in aqua tamen ſolus piſcis eum antecellit velocitate. Siquando indigenæ co-

gun-

(*a*) Phænomenon iſtud attentione vel idcirco digniſſimum eſt, quod experientiæ illi contrarium ſit, quam in frigidis habemus regionibus, ubi amphibia pleraque, immo etiam nonnulla mammalia, & aves hiemem in cavernis torpendo exigunt. Nec tamen iſtud in America crocodilis ſolis eſt proprium: nam Gilij teſtudines, quas Orinocco alit innumerabiles, narrat æſtate in cavernas riparum ſe ſe recondere, ac illic ſine cibo, ac potu defoſſas latitare, dum ſtatæ pluviæ redeant, quarum tempus ibi hiems adpellatur. Sagg. della Storia Amer. T. I. pag. 257. Quis non miretur e cauſis contrariis, calore ſcilicet ac frigore, eundem plane effectum, torporem nimirum, ac ſoporem cum continenti famis, ſitisque toleratione progigni?

guntur fluvium natando ſuperare, infra aquam ſe ſe identidem abdunt, ut rictum in ſumma aqua inſidiantium effugiant. Quidquid prædæ in fluvio adprehendunt, in ripa abſumunt, niſi forte ejusmodi ſit, quod exſerto capite abligurire poſſint extra aquæ ſuperficiem. Majora animalia in flumine deprehenſa ad fundum detrahunt, & depreſſa, dum penitus ſuffocentur, tenent. Sole vehementius urente ad ripas egrediuntur, ac ſuper arena hiante ore, atque ſoli plerumque obverſo, tam alte dormiunt, ut nonniſi ſtrepitu vehementiori excitentur. Ferale certe ſpectaculum eſt, totidem veluti jacentes trabes diducto rictu videre; nec tamen injucundum ſclopetis, vel fuſtibus eosdem ſternere, aut terrere, quod quidem nullo periculo fit, cum monſtra hæc expergefacta non tam de defenſione, quam de repetendo fluvio ſint ſolicita. In aquis tamen incautum remigem ſæpe de prora, vel

puppi abripiunt. Vox, quam unicam edunt, eſt tuſſi potius, qua laborare equi ſolent, ſimilis. De fletu poſt devoratum hominem nec Autor ipſe, nec Moxitæ quidquam habent compertum.

Aviditate ad canes, & anates feruntur peculiari: quare anates extra ſepta egredi, aut in fluvium ire nunquam permittuntur. Hinc vero inventa eſt ratio admodum expedita eosdem interimendi. Anas deligato ad pedem funiculo in flumen projicitur; accurrit celerrime bellua, & prædam, ope funiculi ſubito retractam, inſequendo immemor præſentis periculi ſe ſe in ripam præ cupiditate corpore dimidio ejicit, atque ab adſtantibus contrucidatur. Idem adſequuntur Indi cane quoque ad palum prope aquæ marginem adligato, ac verberibus ad ejulatum concitato.

Digniſſima autem eſt admiratione canum in crocodilis vitandis ſagacitas. Æſtuant

non

non raro ſiti, nec tamen, niſi in hominis ſocietate, ejusdem levandæ cauſa accedunt ad proximum fluvium, ubi, ſi aqua tantulum concitetur, aut piſcis exſiliat, fugam inter latratus, etiamnum ſitibundi, corripiunt, idque illi etiam, qui nec fluvium unquam tranarunt, neque crocodilum aliquando viderunt. Si homo in promtu non ſit, & ſiti nihilominus torqueantur, conſident in ripa, latrantque aliquamdiu, ut ſcilicet crocodilos ex omni circum vicinia eodem quaſi alliciant, & ad paſſus ducentos, tercentosve inde procurrentes ſecure bibant. Si canis hero trans fluvium perdito remanſit, latratu, ac ejulatu vicinos hoſtes colligit, atque ita loco inde remotiore aquam ſine periculo trajicit. Si cervus, vel fera quævis alia, quam canis perſequitur, & fere jam tenet, ſe ſe in flumen præcipitet, nunquam ultra eandem inſequitur, cum ad ſtrepitum feræ inſilientis adcurrere crocodili ſoleant.

Nidos porro vel in margine majorum fluminum, vel in minoribus intra ipſam aquam ripæ continentem e congeſtis paluſtribus herbis conſtruunt, in quibus ova triginta, interdum etiam quadraginta pariunt anſerinis paulo majora, cortice ſcabro, craſſo, inſtar vitri ſonoro, fragili tamen, quæ deinde calore ſolis fota excluduntur: ſin autem prius frangantur, ſæpe crocodilum jam perfectum continere deprehenduntur, qualem cum Autor cultello admoto irritaret, dentibus impreſſit eidem veſtigia, lignella vero comminuit. Peculiaris eſt ovorum cura, quæ vel paleis contegunt, vel certe pone excubant. Nemo tunc accedit, niſi probe armatus. Indi nihilominus propter nimiam ad ova hæc aviditatem variis artibus, nec ſine periculo, iisdem potiuntur.

Modus præterea crocodilum capiendi hic eſt. Paratur ferrum duas circiter ſpi-

tha-

thamas longum, utrinque in acumen deſinens, cujus medio funis prælongus adnectitur, manu belluam provocantis tenetur, inque adcurrentis fauces hiantes ingeritur, neve manus ipſa adprehendatur, duo circuli ferro adnexi impediunt: ita captus in ripam pertrahitur. (*a*) At modus iſte apud Moxitas in uſu non eſt; nam hi funem hamo e chalybe parato deligatum arbori adnectunt, hamum vero ipſum carne quapiam male olente, vel inteſtinis occulunt, quibus partem quoque funis proximam probe involvunt. Beſtia odore allecta hamum una cum parte funis devorat, ac

(*a*) Modum hunc jam olim a quibusdam Ægypti incolis adhibitum fuiſſe tradit Plinius ita de Crocodilo ſcribens: „Terribilis hæc contra fugaces bel„lua eſt, fugax contra inſequentes: ſed adverſum „ire ſoli hi (Tentirytæ) audent: quin etiam flumini „innatant, dorſoque equitantium modo impoſiti, hi„antibus reſupino capite ad morſum, addita in os „clava, dextra, ac læva tenentes extrema ejus utrin„que, ut frenis in terram agunt captivos„. Lib. 8. §. 25.

ac pungentibus aculeis in eas agitur furias, ut fluctus immanes concitet, quorum ſtrepitu exciti indigenæ vicini captivum interimunt.

Dentes crocodili, quem *Cadireina* vocari diximus, America omni adteſtante, vel collo adpenſi, vim veneni e morſu cujusvis animalis concepti penitus depellunt, cujus quidem rei ipſe Autor noſter experimentum vicibus innumeris cepit: quin parturientium femori adligatos fœtus etiam præmortui enixum vehementer adjuvare medici tota Peruvia ſparſi fatentur. Demandaverat ſuis Autor vice quapiam, ut crocodilus ſagitta veneno imbuta ſaucietur: at reponebant neophyti, in ejusdem corpore vim veneni omnem exſtingui, quod ille dentis efficacitati putat eſſe adſcribendum. Solent proles Indicæ ſibi relictæ terram interdum comedere, & hinc obſtructione lethifera laborare, quibus tortæ, crocodili pinguedine ſub-

actæ

actæ, propinantur, atque hac ope terram ſenſim egerunt, colorique priſtino, & valetudini reſtituuntur.

Sermonem de *Serpentibus* Autor his verbis ingreditur. „Neſcio, ait, qua potiſſimum ratione lectori ideam aliquam
„ copiæ ſerpentum, & viperarum ob ocu-
„ los ponam, quam, ſi breviter dicam,
„ nullum reperiri locum, qui ab iis immu-
„ nis eſſet. Sive enim campos obambu-
„ les, ſive ſilvas, ſive foris, ſive domi, ubi-
„ que hoſpites eos invenies, præcipue vero
„ eluvionum tempore, quo e campis fugere
„ coguntur. Nemo Patrum noctu ſine lu-
„ cerna, aut, quod ad rem idem facit, ſi-
„ ne Indo præcedente ſecure incedit: a
„ plaga enim horum animalium nullus do-
„ mus angulus, nullum cubiculum eſt ex-
„ emtum. Nulla pene dies præterit, qua
„ non ranas clamantes hinc inde audias,
„ quas vipera aliqua, aut ſerpens adprehen-

ſas

„ ſas devorat. Ut proinde ſæpe miratus „ ſim Numinis providentiam, quod inter „ tot venenoſiſſima animalia plures quotan- „ nis homines non perimantur. „ Sed jam ſpeciatim aliquos deſcribamus.

Incolæ *Camuti* (*a*) vocant ſerpentem in lacubus plerumque commorantem, longius quidem certe ab iisdem nunquam digredientem, dorſo fuſco, ventre albido. Venenum, quo deſtituitur, penſat immanibus viribus, dentibusque ſolidis, & acutis. Vidit Autor complures ad octo, & amplius ulnas excurrentes, viri probe corpulenti craſſitudine, adeo tamen expeditos, ut hominem curſu adſequantur. Caudæ prope apicem inſidet uncus quidam oſſeus, diame-

(*a*) Ad genus *Boæ* Linnei pertinet, *Boa* tamen *conſtrictor* Linn. eſſe non videtur; conſtrictor enim maculas habet elegantiſſimas, quas Noſter dubio procul adnotaſſet. Ceterum uncus ille caudæ oſſeus, cujus nemo autorum meminit, ſpeciem plane novam videtur indicare.

metro minoris digiti, quatuor, aut quinque pollices longus, quem animali, cui inſidias ſtruunt, infigunt, libratoque corpore miſerum circumplectuntur, & arcte conſtringunt. Mox uncum illum alio in loco corpori profundius immergunt, atque ita equum, aut vaccam ſic undique comprimunt, ut oſſa omnia confringant, & comminuant; tum ſaliva undique perunctam & quaſi exoſſatam, integram deglutiunt. Spectavit Autor, dum Camiti vix tres ulnas longus canem bibentem adprehendit, atque ita compreſſit, ut corpus ejusdem mirum in modum protenderetur: ereptus tamen fuit ſemimortuus, poſtquam adcurrens Indus monſtrum cultro ſauciaſſet.

Si quempiam hamo, ut ſolent, ex adſita arbore piſcantem animadvertat, truncum in orbem ſpiris circumplicat, atque deſcenſuro inſidiatur: quapropter vitant piſcatores loca, ubi diverſari conſuevit; vel

cer-

certe nonniſi cum ſociis adeunt. Lintres in lacu temere oberrantes perſequitur, injectaque cauda vel nautam abripit, vel naviculam corpore circumplectitur, ac in fundum detrahit. Vidit Autor juvenem, quem eventus, qui ſequitur, pene perdidit. Piſcatui in ripa intentum adgreſſus, & in ſinum cavæ arboris confugientem ſerpens perſecutus eſt, truncumque pro homine arctiſſime conſtrinxit, & uncum nunc hic, modo illic infixit. Venit juveni metu exanimato in mentem, quem forte apud ſe habebat, culter, quo belluam tympani inſtar præ niſu diſtentam valide ſauciavit, concidit ille quidem, ſed juveni tergum dimidium morſu abſtulit, qui tamen feliciter curatus fuit.

Jacent paſſim in ripa lacunarum, alii quidem extenſi, alii in ſpiras ita convoluti, ut circulos doliorum ſibimet impoſitos referant, & e longinquo intuentibus ſpecieni

ciem quamdam columnarum offerant. Carnem eorum complures edunt avidiſſime. Narrant halitu ſerpentum horum aves, hominem, ceteraque animalia adtrahi, neque adtracta eliberari aliter, quam ſiquis aerem interjectum baculo findat, atque ita filum exhalati odoris quodammodo amputet. Sed rem nulla autoritate ſatis teſtatam Noſter in dubio relinquit.

Alium, de quo in ſuperioribus mentio jam injecta eſt, Hiſpani *Caſcabel* a tintinnabulis, indigenæ vero *Atacabuiri*, ſeu fulmine percuſſum vocant, pelle albida, maculis tamen quibusdam obſcuris intermixta (*a*). Habet ſub cauda quasdam, ut ſic dicam, nolulas, conſpecto eminus homine perſtrepentes, easque vario numero, conſtantes cuticula tenuiſſima, ſicca, rotunda, nucis avellanæ magnitudine, globulum quemdam mo-

(*a*) *Crotalus* Linn.

mobilem intra ſe includente. Autor decem & octo in uno quopiam numeravit. Maximus, quem idem vidit, ad ulnas duas non pertinuit, neque brachio pueri craſſior fuit. Obverſantur paſſim ubique, morſu tam lethali, ut animal ab iisdem læſum pauca intra minuta intereat. Hoſpites hos Noſter crebro ſuo in cubili habuit. Quibus dentem inflixerunt, ſanguinem per omnia corporis ſpiracula ejiciunt, ſibique penitus eripiuntur: vis tamen mali adhibita e veſtigio medicina depellitur. Dens crocodili maximi, olentis nimirum, vel collo ſuſpenſus neminem adhuc fefellit. Fuit, qui dentis in pulverem comminuti particulam in aqua communi ſumſit, & hujus ope duplici e morſu convaluit.

Viperam bicipitem (*a*) Noſter vidit unicam, vix ulnæ dimidiæ longitudine, colore

(*a*) Serpentes bicipites, ſive tales, qui bina cum ſuis collis capita eidem trunco corporis inſidentia habent,

lore fuſco. Capita corporis extrema occupabant. Sunt, qui viperam hanc in fruſta ſectam, ſi illa continuo locis ſuis reſtituantur, rurſus conſanari contendant; atque hinc tentaviſſe quosdam pulveribus ejusdem ſole ſiccatis reciſas corporis humani partes adſpergere, ſuisque locis apte reponere, quæ perfecte iterum coaluerint. Sed rem Autor, qui nullum ejusmodi viderit experimentum, adfirmare non audet.

Ceteris ſerpentum generibus, quæ apud Moxitas nihil habent peculiare, prætermiſſis, commemorandi ſunt innoxii illi, qui cum duarum ulnarum longitudine, & digi-

N 2

bent, jam ab aliis etiam in America meridionali fuerunt obſervati, debentque ſine dubio inter monſtra referri. Vid. Hiſtoire naturelle des ſerpens par M. le Comte de Cespedes. Ab. Gilij Saggio di Storia Americana meminit ſpectri cujusdam ad fluvium Orinocco habitantis, quod Hiſpani ſerpentem bicipitem vocant, falſo exiſtimantes caudam ejusdem in caput alterum deſinere.

digiti minimi craſſitudine, colores habent prorſus elegantes. Oberrant in campis conſertim, ſilentii, & ſolitudinis mire adpetentes. Si peditis, equitiſve ſtrepitu concitentur, adcurrunt undique tanta velocitate, ut equum, niſi ſit e pernicioribus, adſequantur, &, qui ſtrepitum excitavit, invadunt, ſub veſtem ſe inſinuant, totumque corpus veluti luſitando explorant, ac tandem eadem, qua venerunt, celeritate abſcedunt.

Teſtudines noſtratibus majores, ſed nihilo meliores, in ſilvis deprehenduntur. Quæ in campis oberrant, odoris fœditate vel Indos avertunt, ne iis, niſi fame adacti, veſcantur. Teſta earum pilis rufis tota eſt inducta. Fluvii apud Moxitas nihil alunt ex hoc genere.

Cum pluvia ſerenos aliquot dies excipit, emergit innumerabilis *Buſonum* excercitus, tantaque coaxatione verberat aures, ut

ut ea vel antiquiores regionis incolas in ſtuporem det. Sunt noſtratibus plerique majores, ita ut interdum pileus unicum non capiat: cum tamen veneno careant, nocent nemini, immo proſunt etiam. Nam cum ædium januæ propter calorem claudi noctu haud poſſint, turmatim ingrediuntur, & eas ab inſectis, angulos omnes perſcrutando, repurgant, qua in venatione interdum ſubſiliunt contra parietem ad ulnæ unius altitudinem, prædamque deripiunt. Verum hoc emolumentum magnis penſant incommodis; nam in lectos dormientium adrepunt, & ad corpus, caloris ſuapte adpetentes, ita ſe ſe adplicant, ut ejusdem pondere opprimantur. Sed & ignem, qui noctu ciniphibus abigendis, aut tigridibus arcendis foveri ſolet, mira ſane arte exſtinguunt. Nam carbones ardentes (quod Autor narrantibus, antequam ſuismet oculis ſæpius vidiſſet, non credidit) carbones, in-

quam, ardentes eo fere cum ſtridore, quem injecti in aquam excitare ſolent, abliguriunt.

CAPUT V.

De Inſectis, & vermibus.

Initium a formicis facimus, quarum tanta ubique occurrit varietas, tanta oberrant agmina, ut regionem, ſi cetera abeſſent inſectorum genera, reddere poſſent deteſtabilem. Sunt quædam pollicis magnitudine, pilis conveſtitæ violaceis, morſu tam acerbo, ut febrim horis viginti quatuor non ſine mentis aberratione perdurantem excitent. Aliæ ſic omnia depaſcuntur, ut plantas, ipſas immo arbores vel unica nocte conſumant, & ſicubi longiori tempore diverſantur, proceras quoque, & jam fructiferas prorſus enecent, & exſiccent. Cum domorum tecta conſtrui e gramine

mine ſoleant, ſæpiſſime fit, ut, ſi forte noctu evigiles, lunam, & ſtellas veluti ſub dio e lectulo videas, aut, ſi repentinus imber ingruat, tuo in cubiculo balneum deprehendas, tecto omni paucas intra horas in ſubterraneas formicarum cavernas aſportato.

Sed longe ſunt perniencioſiores, quæ columnas ædium, omnemque ligneam ſupellectilem in farinam quodammodo redigunt, non ſine præſentiſſimo ruinæ periculo: nam ligna extrinſecus nullum vitii præbebunt indicium; at, ſi manu contrectes, externum ſolummodo corticem deprehendes, quem ipſum facile in pulverem redigas. Credi vix poteſt, quantum peſtis iſta ſilvas devaſtet, erodendo arbores navigiis, ædibusque ſtruendis idoneas. Albæ ſunt, & obeſæ, lentiſſime gradientes. Si irritentur, humorem quemdam lacteum ex ore dimittunt, quem Indi tanquam fermentum quoddam corru-

ptionis eſſe putant. Cum aqua ſit illis exitialis, imminente imbre perfoſſis parietinis in ædes irrumpunt, alisque inſtructæ pervolitant, ciſtas, & ſcrinia invadunt, veſtes, præſertim laneas, in fruſta concidunt, ſericeas autem, uti & chartam, humore illo lacteo, an excrementis? ſic fœdant, ut uſui deinceps nulli eſſe poſſint.

Aliæ, quas Autor *viſitatores* adpellat, colore ſunt nigro, & quædam pollicis longitudine, ſicuti nonnullam utilitatem, ita moleſtiam non parvam adferentes, nec unquam ſeorſim, ſed, ut apum examina, facto agmine de cavernis ſubterraneis in ædes irruentes. Nomen ex re profecto habent: nam parietes, ſcrinia, ſupellectilem, verbo rimas omnes ſolicite perveſtigant, & inſecta cetera in fugam agunt. Siquod prorepat e latebris, pedibus ejusdem ſe ſe, quotquot poſſunt, adpendunt, ac pondere ipſo in pavimentum detrahunt, atque in

rece-

receptacula ſua deportant. Eadem ſedulitate peragrant cubicula omnia, & integram domum intra ſemihoram repurgant. Si res accidat interdiu, nullam incolentibus adferunt moleſtiam: ſin autem, ut plerumque fit, noctu contingat, dormientes morſu ſic impetunt, ut non niſi in fuga ſit præſidium, tametſi etiam tunc multæ fugientium pedibus ſe adpendant. Carent quidem veneno, pruritum tamen provocant non tam cito ſedandum. Latebræ formicarum ſubterraneæ, earum cumprimis, quæ arrodunt arbores, tam ſunt interdum ſpatioſæ, & more metalli fodinarum in ramos varios ſectæ, ut commeare per easdem poſſis.

Regio Moxitarum dici ex vero poteſt *Ciniphum*, & *Culicum* patria, quibus gens diu, noctuque ſine intermiſſione divexatur. Lumen nocturnum ſæpe exſtinguunt, & in ora loquentium involant, ut adeo prope fluvios ne cibum quidem poſſis, niſi celer-

rime inambulando, capere. Curiones flabello e plumis ſtruthionum compoſito ſe ſe, quantum poſſunt, tuentur. Noſter, ut preces e libro recitare poſſet, tres adhibere pueros debuit, quorum unus a facie, alter a tergo, tertius a pedibus inſectantes arceret. Iidem noctu adpenſis circa lectum linteis, indigenæ vero igne exſtructo ſe defendunt, quorum utrumque in tanto regionis ardore pene malo ipſo pejus remedium eſt. Verum pecora omni fere ſe ſe tuendi adminiculo deſtituta, explicari non poteſt, quantopere excrucientur: cibum quidem certe non niſi in umbra, aut ingruente pluvia poſſunt capere: quare proximis poſt eluvionem recedentem menſibus, cum reliquiæ in locis humilioribus etiamnum reſtagnant, pilos omnes perdunt, & ſic marceſcunt, ut vix oſſibus hæreant, immo non raro morſibus continuis, atque inedia pereant.

Ara-

Aranearum duas potiſſimum ſpecies commemorat Autor. Prior ea eſt magnitudine, ut vix poſſit vola manus contegi, pilis conveſtita violaceis, ſaliens ad paſſus humani diſtantiam, dentibus ſuperne binis, totidem inferne inſtructa, veneno autem tam exitiali, ut non cedat viperæ. Non in ſilvis modo, ſed in ipſis etiam cubilibus hoſpitatur. Altera innoxia, ſatis itidem magna, arbores per campos occupat, & ex una ad aliam, etiam intervallo paſſuum duodecim, protendit fila tam candida, & denſa, ut e longinquo telam quampiam crederes extenſam, quæ quidem ſericis nec ſubtilitate, nec tenacitate quidquam concedunt, ut adeo nullum ſit dubium, poſſe ex iisdem rite tractatis telas contexi tenuiſſimas, cum menſibus Novembri, & Decembri arbores, & campi iis albeſcant.

Scorpiones vulgares majore, quam alibi, exuberant numero: morſu graviſſimum

mum plerique dolorem, non tamen mortem adferunt, ac in putridis arboribus maxima copia deprehenduntur.

Muſcarum examen eſt immenſum. Nihil ab his tutum: carnes omnis generis momento inficiunt, & ovorum fœcunditate vermibus complent. Sunt, quas aviculas eſſe putares, quæ jumenta acriter inſectantur, pungunt, atque ſanguinem miſeris eliciunt. Videres equorum gregem in campis tanquam rabie correptum propter continuam infeſtationem ſus deque celerrime diſcurrentem.

Plena item ſunt *Veſparum* omnia, quæ colore quidem, & magnitudine differunt, omnes tamen acerbe pungunt, ita ut facies fœdum in modum tumeſcat, & brachium diebus compluribus officium conſuetum neget. Favum more apum in cavis arboribus componunt: ſed quæ omnium ſunt maximæ, & infeſtiſſimæ, ſub terra nidos

con-

conſtruunt, unde catervatim non raro erumpentes pecudes, & homines ex improviſo invadunt, neque ullum tunc eſt in fuga præſidium: inſequuntur enim fugientem. Indigenæ in terram ſe abjiciunt, ut ſpicula pungentium devitent.

Cucaracſa, vel aliis *Idipire* locuſtis noſtratibus adfinis, colore apud adultos rubro, aut ſubalbo, habitat in ædibus, ac tenebris ingruentibus prorepit e latibulis, pervolitat, arrodit, & inficit omnia, cumprimis autem cibaria, nec, niſi a bufonibus, & formicis viſitatoribus, exſtirpanda. Ovula folliculo quodam obducta, & poſt octiduum excludenda, libris, aut parietibus genere quodam glutinis tenaciſſime adnectit, ut adeo parietem dealbatum noctu, præ folliculorum multitudine, crederes periſtromate quodam eſſe inductum. Hominem etiam interdiu moleſtat, ſed dormienti præ-

ci-

cipue cutem morſicat, & per vultum re-ptando ſomnum eripit.

Binchuca ſcarabæi magnitudine cutem dormientium ſimiliter invadit, ſanguinem-que ſugit, relicto tumore haud exiguo, prurigine quidem certe tanta, ut multi co-gantur acu, vel cultelli cuſpide tumorem perfodere, expreſſoque ſanguine pruritum ſedare.

Hoſetipo eadem, qua prior, mo-le, colore atro, magis etiam eſt infeſtus; nam ſe in cibos adſervatos inſinuat, quos ſi velis edere, neceſſe eſt in partes minu-tas dividere, ac ſingulas fruſtillatim inſpi-cere, ne ſcilicet dentem figas in inſectum fœdiſſimum, cujus vel digito contrectati fœtor eſt intolerabilis, nec facile depellen-dus. Qui ſupini dormiunt hianti ore, ſæ-pe experrecti unum, alterumve in eodem deprehendunt. Unicum hoc eſt genus, quod

nec

nec anates aut gallinæ, nec formicæ vel bufones adpetunt.

Pique, de quo jam meminimus, inſectum diris omnibus, ut cum Autore loquar, devovendum, pulici ſimillimum exundat in ſterquiliniis, platearum pulveribus; & conclavibus, quæ aut non everruntur, aut occluſa ſervantur. Pedum præcipue digitos infeſtat, in quos pertuſa cute ſe inſinuat, ac, niſi intra horas viginti quatuor effodiatur, cumulum ovulorum tenui folliculo incluſorum, piſi magnitudine, intra carnem ponit, quæ paucas intra horas vitam conſequuta per corpus diffunduntur. Ingreſſum pulicis prodit prurigo vehemens, puncturis quibusdam interpolata. Ope aciculæ non ſine dolore eruitur, &, ſi tunc rumpatur, vel ovula omnia una cum folliculo non eximantur, fœdum exoritur ulcus, menſibus duraturum. Effoſſi veſtigium ſebo, vel tabaca obſtruitur. Credetne lector

ab

ab animalculo tam minuto hominem enecari? Duas commemorat mulieres Autor, quæ propter metum, ne viſitentur, atque ab inſecto iſto repurgentur, in ſilvam refugientes non multos poſt dies ſemivivæ fuerunt reductæ, atque etiam reapſe exſpirarunt. Porci ungulis pedem confricando, canes dentibus pellem arrodendo ſe liberant.

Non multum abludit *Iticſe*, Hiſpanis *Garrapata*, folia arborum in ſilvis obſidens, & cuti prætereuntium tanta inhærens tenacitate, ut avelli non ſine vi debeat, ac, ſi aculeum in corpore reliquit, ulcus oriatur diuturnum, aut lædatur nervus aliquis nunquam deinceps reſtituendus. Indi folium quoddam igne calefactum eidem identidem admovent, ut ſpiculum ipſemet extrahat, ſeque revelli patiatur. Maximus vix æquat lenticulam, ſed intra biduum ſanguine fartus globi plumbei molem conſequitur. Minimi rubicundi ſunt, & ab

Hi-

Hiſpanis *Pulvorines* merito adpellantur, ita ſunt minuti, & ubique exuberant. Siquis fruticem præteriens folia contingat veſte, ea ſic ſæpe rubebit, ac ſi colore illo eſſet imbuta, & niſi omnes illico detergantur, per totum diſcurrent corpus, cutemque rodere, ac ſanguinem ſugere pruritu intolerabili incipient, neceſſeque erit corpus vel cremato fortiſſimo, vel certe tabacæ decocto abluere.

Genus aliud teſtæ limacum habet ſimilitudinem, colore albo, pilis, aut potius ſpinis armatum. In cutem animalium citra ſenſum ullum, inde in carnem ipſam alte penetrat, ulcusque gignit fœdiſſimum, unde cruor maximo cum dolore exſtillat. Quoties arrodere carnem incipit, aut ſe intus commovet, hominem fere ad inſaniam adigit; nam pili illi, vel aculei carnem vivam, tanquam totidem aciculæ, cum acerbiſſimo doloris ſenſu pungunt, &, niſi ocius eximatur, poſitis ovulis, mirum in modum

multiplicatur. Maſo hoc, America recens detecta, multa Hiſpanorum millia interiiſſe ferunt. E canibus incolæ nullo fere negotio expellunt: obſervant ſcilicet, cum caput nonnihil exporrexit, & tunc pelle undique vehementer compreſſa e corpore exprimunt. Apud homines tabacæ cineres, aut ipſa etiam tabaca Hiſpanica ulceri adſperſa inſectum enecat, ſed non ſine dolore incredibili, propter tabacæ morſicantis acerbitatem.

Eſt præterea genus quoddam rubrum adeo minutum, ut a pauciſſimis detegi, acuque eximi poſſit. Hæret inter cutem, & carnem cum continuo, ac moleſtiſſimo pruritu, &, quacunque commeat, veſtigium ſuum linea quadam rubra in cute ſumma ſignat, quam ſequuntur oculis, qui excipiendi dexteritate pollent, cumque ſemita hæc ſæpe labyrinthi inſtar tortuoſa ſit, locum, in quo verſari animalculum ſuſpicantur, ſignant, & poſt horas aliquot, an progreſſum porro

ſit,

ſit, diſpiciunt, atque ita latibulum ejusdem deprehendunt.

De vermium apud Moxitas innumerabilitate alibi jam mentionem fecimus. Autor ſpeciatim unicum illum commemorat, quem Hiſpani *Centopies* propter pedum multitudinem vocant, digiti habentem longitudinem, qui ſi pilis ſuis quempiam contingat, dolorem infert non mediocrem, qua de cauſa ſolicite vitatur ab inſectis.

Lumbricorum in campis, locisque paluſtribus exercitum vel e brevicula hac Noſtri narratione æſtimes. „ Accidit mihi, inquit, „ non ſemel ſub auroram cum Indis equi- „ tanti, ut equi non ſecus, ac ſi lutum ali- „ quod profundius perrumpere debuiſſent, „ incederent, ac pectore tenus pene lumbri- „ cis immerſi. Orto ſole nullus videtur„ (a).

(a) Dolendum ſane de Inſectis ab Autore adeo imperfecte ſcripta eſſe omnia, ut pro eorum notitia nihil quidquam poſſit ſpeciatim erui. Ceterum quicunque de calidis Americæ regionibus hactenus ſcripſerunt, easdem, quas ille percenſet, infeſtationes com-

LIBER QUARTUS

DE INDOLE, AC MORIBUS POPULORUM GENERATIM.

CAPUT I.

De corporis externa conformatione, atque habitandi ratione.

Nationes in ampliſſimo hoc, quem jam deſcripſimus, terrarum tractu per ſilvarum latibula ſparſas primus circa ſeculi hujus initium detexit, & ad civilis vitæ ſocietatem pellicere cœpit P. Marban, cujus, & ſucceſſorum labore indefeſſo in coloniis, cum Noſter eo delatus eſſet, jam ultra triginta Neophytorum millia cenſebantur. De populorum iſtorum origine, quemadmodum de Americæ incolis ge-

memorant, confirmantque illud ipſius effatum: „ homines ibi reperiri, morarique poſſe non aliunde „ credas, niſi quia vides „. Quamquam ſi coloni multiplicarentur, dubium non eſt, fore, ut numerus Inſectorum eadem prope ratione minuatur.

generatim, variæ exſtiterunt autorum conjecturæ. Sunt, qui illos e Peruvia in vaſtam hanc ſolitudinem metu Hiſpanorum fuiſſe compulſos arbitrentur. Verum non leves, mea quidem opinione, repugnant rationes. Imprimis enim ſatis conſtat, ſolem a Peruanis, tanquam numen quoddam, fuiſſe in delubris cultum: nullum apud Moxitas religionis iſtius veſtigium, nulla Hiſpanorum, vel Peruanorum notitia. Deinde tota, qua patet, Peruvia duæ ſolum vigebant linguæ: iſthic vel in colonia Noſtri novem, in proxima vero duæ ſupra viginti, a Peruanis illis prorſus diverſæ, erant in uſu. Denique Peruani, monumentis omnibus adteſtantibus, fuere culti, & auro, argentoque abundantes populi: at Moxitæ omnes, ſi Baures fortaſſe demas, erant nationes plane barbaræ; auri vero, & argenti non modo nullam cognitionem, ſed ne vocabula quidem ſuismet in linguis habentes. Et quis tandem inducat in animum, regiones has

vaſtiſſimas ante Hiſpanorum in Peruviam adventum habitatoribus fuiſſe deſtitutas ? Illud negari vix poteſt, Hiſpanorum aliquos ad fines, ubi nunc Trium Regum colonia ſita eſt, penetraſſe, cum illic & aquilæ rupi affabre inſculptæ, & rubigine adeſum enſis fragmentum deprehenſa fuerint.

De indole, ac moribus populorum horum ea hoc loco perſequemur, quæ genti Moxitarum univerſe, tribubus autem quibusdam ſpeciatim conveniunt. Generatim modus corporis apud viros mediocris, in mulieribus infra mediocritatem eſt. Color, apud nudos præcipue, fuſcus. Ceterum fabrica tota corporis optime conformata, expedita, agilis, nullo plane laborans vitio: gibbum quidem certe, aliamve idmodi corporis deformitatem nuſquam videas, tametſi proles pecudum more ſibi relictæ nullis faſciis, aut vinculis membra coercentibus adſtringantur. Viri cumprimis plerumque graciles ſunt, neque corpulentum facile reperias.

periaſ. Capillos ad feritatem quamdam oſtentandam paſſos gerunt. Corpus duplici potiſſimum colore depingunt, aut fœdant potius. Rubeum e fructu arboris *Acſore* (*a*) capſula ſua grana includente ruberrima, conficiunt, quæ ad ſolem deſiccant, conterunt,

(*a*) Arbor hæc veriſimiliter eſt eadem, quæ alibi in America meridionali paſſim *Rucu*, a Gallis *Roucou* adpellatur, arbuſcula potius dicenda, *Bixa Orellana* Linn. quæ in Guyana peculiariter colitur in gratiam pigmenti in Europam transportandi.

Mos depingendi corpora etiam Paraquarienſibus, accolis item fluviorum Amazonum, & Orinocco, immo pene omnibus in America calidiore, quin nonnullis etiam in Canada populis in uſu eſt poſitus, fuitque jam olim in ipſa Europa gentibus quibusdam familiaris. „ Equidem, inquit Plinius, & formæ gratia, „ ritusque perpetui, in corporibus ſuis aliquas ex- „ terarum gentium uti herbis quibusdam adverto ani- „ mum. Illinunt certe aliis aliæ faciem in populis „ barbarorum feminæ, maresque etiam apud Dacos, „ & Sarmatas corpora ſua inſcribunt „. Lib. 22. c. 1. Idem ab antiquis Britannis Glaſtum (quod nos Iſatidem tinctoriam vocamus) ad corpora ſua colore ceruleo perlinienda adhibitum fuiſſe tradit. Adeo ſcilicet in omni hominum utcunque regionibus diſjunctorum genere, ſi abſit cultura, mira eſt morum ſimilitudo.

runt, aqua, vel cocorum oleo ſubigunt, & digito corpus ſine ulla lege infucant: colorem alium in violaceum vergentem, nec ulla vel aqua, vel fricatione, ſed ſola mora temporis detergendum ſuppeditat arbor *Jonoboco*. Sunt, qui manibus, ac vultui ſimulacra crocodili, ſimiæ, vel avium acutiſſimis piſcium dentibus ad ferociam conciliandam inſculpant, & ſanguinis veſtigia fuligine, aut illo arboris *Jonoboco* ſucco imbuant, qua quidem arte illud obtinent, ut effigies illæ inſculptæ, niſi cute detracta, obliterari non poſſint.

Dentes ordine æquabili poſiti, ſicut eburni, albent: Frons admodum lata eſt, oculi pene rotundi, cavitatibus angulo carentibus, Europæis longe perſpicaciores: ſupercilia rara, e quibus ipſis pilos ſuccreſcentes, uti & e barba ſtudioſe evellunt, nec uſpiam, niſi in capite, patiuntur (*a*).

Nares,

(*a*) Omnes fere Americani in more habent pilos e quavis corporis parte, vertice capitis demto, evellere,

Nares, uti ſimorum, compreſſæ, & obtuſæ, mentum prominens, labia rubicunda, & grandiuſcula, os plerumque amplum, ac diductum, digiti noſtris minores, quorum minimus ad ſupremum proximi articulum nunquam pertingit, quo indicio facile dignoſcas Hiſpanum e mixto connubio procreatum, idque ad quartam interdum uſque generationem. Capillos alunt longos, nigros, & aſperos, quos ſplendoris, atque neſcio cujus feritatis cauſa creberrime ungunt oleo amygdalorum illorum, quæ intra cocum creſcere in ſuperioribus diximus.

Sunt, qui communem narium parietem, ſeu cartilaginem pertundunt, & annulum quempiam, aut filum, lapillis ex utroque fine dependentibus, inſerunt, quorum mutua

lere, ac ideo imberbes ſunt, ſive quod pilos in mento ſuccreſcentes continuo exſtirpent, ſive quod poſt diuturnam ſeculorum conſuetudinem ipſa jam natura barbam iis deneget, quod tamen poſtremum ſuſtineri univerſe non poteſt, cum conſtet eſſe in America populos, quibus barba, tametſi rara, in mento emicat, quod de Mexicanis Clavigero tradit.

tua colliſione delectantur. Alii labium utrumque in medio perforant, & bacillos teretes infigunt, qui inter loquendum in ſe ſe impingentes peramœnum, ſi diis placet, ſtrepitum excitant. Duo hujusmodi capita adumbrata habes in Fig. 3. (*a*).

Sed nequid ad elegantiam deſit, eſt barbarorum natio, quæ, more apud mulieres noſtras recepto, aures quoque perforat, perque foramina virgulas ſenſim craſſiores trajicit, dum earum ope diducta piſi adſequantur magnitudinem. Ingerit deinde iisdem viminis contorti, & valde elaſtici faſciculum, cujus ſe ſe expandendi vi ita in-

cre-

(*a*) Conſuetudo hæc tota fere America meridionali eſt diffuſa. Vel ipſi Mexicani, populus jam olim cultiſſimus, conchilia, ambram, criſtallos, uniones, ſmaragdos, aliasve gemmas auro incluſas e naribus, aut labio ſuſpenſas circumferebant. Morem etiam aures pertundendi, & foramen trajectione variorum cylindrorum ſenſim dilatandi, ita ut infimus aurium limbus ad humeros uſque defluat, communem habent Moxitæ barbari cum nonnullis fluvii Amazonum accolis, quos Hiſpani *Orejones* ea de cauſa vocant. Condamine Lib. cit. pag. 249.

creſcunt, ut nucem diametro exæquent. *Sic* jam ampliatis foraminibus adpendit inaures, lapides ſcilicet ſex unciarum, quorum pondere aures ſucceſſu temporis ſic diſtenduntur, ut ad humeros uſque pertineant.

Tiboitæ, tribus barbara, prolibus in lucem editis faciem, & caput tabellis utrinque arcte comprimunt, atque ita cogunt in altum duntaxat creſcere. Cum pars aliqua capitis ultra tabellas illas excrevit, eam faſcia arctiſſime conſtringunt, ut globi cujusdam capiti impoſiti formam referat, quam rurſus eodem modo tractant, & hominem veluti tricipitem educant, facie admodum coarctata (*a*).

Po-

(*a*) Barbara hæc conſvetudo viget etiam apud *Omaguas* ad fluvium Amazonum incolentes, at modo contrario, ut nimirum vultus in latum pandatur, &, ut illi ajunt, ad lunæ plenæ ſimilitudinem propius accedat. Id. Reiſe durch Sud-America Septemtrional, cui Galli propterea *Têtes plates* nomen indiderunt. Alii inter Algonquinenſes prolium vultus fingunt in formam globi. Charlevoix Hiſt. de la nouvelle France, T. VI. pag. 38. edit. in 8.

Populi, qui ſedes fixas non habent, mutant identidem domicilium, ſeque ad loca transferunt, ad quæ ſpes pinguioris venationis, aut piſcationis allicit, unde, præda jam rareſcente, rurſus alio demigrant. Qui vero ſtabile aliquod fixerunt domicilium, caſas ſtruunt rotundas, diametro quatuor, ſummum quinque ulnarum, eademque altitudine, in quibus familia integra ſæpe ad capita duodecim excurrens compingitur. Parietes a terra vix ultra altitudinem ulnæ extollunt, quos e ſepibus luto inductis componunt, tectum gramine conveſtiunt: nulla uſpiam feneſtra, ſed janua duntaxat, eaque tam humilis, ut nemo per eam, niſi repando, poſſit commeare; obſtruitur ſepimento graminum palis crebrioribus intertextorum. Domeſticam ſupellectilem hæc abſolvunt: toga (niſi nudi incedant) unica, e fibris arboris *Ecſomoboco*, vel goſſipio forma induſii longioris abſque manicis contexta, lectulus penſilis, quem *Hamacam*

vo-

vocant, una alterave olla, ſutum ſeu cantharus, & ſagittarum faſcis. Alunt interdum etiam canes, & gallinas, præcipue autem pſittacos, aliasve aves, quarum plumis, quando compotandum, ac ſaltandum eſt, non caput modo, ſed pedes etiam, manusque exornant. Numerus uxorum cuique eſt pro arbitrio, quas eadem, qua ducunt, levitate repudiant. Viri tempus matutinum venationi, aut piſcatui; mulieres cibis adparandis impendunt: poſt meridiem perpotatur ad ſeram uſque noctem.

Baures, Moxitarum natio, plus humanitatis, immo etiam civilitatis, antequam religione initiarentur, habuiſſe videntur: veſtiti enim decore pro more gentis erant, ſementem faciebant, peregrinis excipiendis peculiare diverſorium ſtoreis, ac ſedilibus adparatum, vaſa item, in quibus potionem hoſpiti propinabant, plumis decenter exornata habebant, ut adeo ceteros Moxitas urbanitate hodiedum ſuperent.

Nec

Nec deerant nationi Rectores, quos *Aramas* etiamnum vocant, quibus in regenda tribu filii primigenii ſuccedebant. Nihil hi faciebant operis, ſed omnia ad uſum neceſſaria ſubditi adminiſtrabant, quos illi viciſſim largo quotidie hauſtu reficere obligabantur. Siquem e medio ſublatum Arama volebat, ſatis erat indicium voluntatis ſuæ facere: res e veſtigio peragebatur. Ne tamen in vitam ſubjectorum graſſari pro libidine poſſet, legebatur quotannis tempore meſſionis unus quiſpiam e ſenioribus, qui tanquam cenſor, aut tribunus plebis eundem officii commoneret, atque ſæviendi licentiam gravi oratione coerceret.

Uxor Aramæ primaria, e qua ſcilicet dignitatis hæres procreandus erat, alterius cujusdam Aramæ filia eſſe debebat, quam certo anatum numero, lapillisque politis collo adpendendis deſpondebat. Utrinque dabantur duo famuli, viro ſcilicet mares, qui venatu, & piſcatione hero obſequium præ-

præſtarent; ſponſæ feminæ, quæ cibis, & potionibus parandis operam darent: ceterum uxoris ancillæ officia quoque concubinarum explebant. Die nuptiarum ſponſa ab Aramæ filiis in lectulo deferebatur, ſaltus autem, & compotatio ad occiduum protrahebatur. Verum poſt tantas cerimonias adeo inſtabile fuit matrimonium, ut, ſi quæpiam alia Aramæ præplacuit, aut uxor tanta celebritate deſponſata in cibis, ac potibus præparandis minus ſatisfecit, canis inſtar e domo exturbaretur.

CAPUT II.

De animi Facultatibus, & Propenſionibus.

Intellectus gentis ſic eſt imbecillis, & verſatilis, ut rei cuivis etiam repugnanti continuo adſentiatur, & contrarium adſerenti paulo poſt adſenſum eadem mobilitate præbeat: ut adeo videantur homines iſti nulli plane rei ex interna animi in-

ductione

ductione adhærere, ſed negare, vel adfirmare momentis omnino haud expenſis, hærereque in ſtatu quodam quietis ad omnem rerum veritatem, aut falſitatem perinde indifferente. Hinc nulla apud eos fides, nulla in pactis conventis ſtabilitas. Numerare ultra ſex non noverunt, ſed numeros ulteriores mira circumſcriptione, atque ambagibus exprimunt, neque tamen vel ſic poſſunt ultra viceſimum progredi.

Huc accedit incredibilis memoriæ in rebus ad religionem pertinentibus tarditas, & infidelitas, ut vel creberrime inculcata vix retineant. Sacerdos die quadam, ut pretium divinæ gratiæ ob oculos ſuis poneret, atque, ut putabat, ad captum explicaret, fingite, inquiebat, vobis virginem forma præſtantiſſimam, veſtibusque ornatam exquiſitiſſimis: quis eam non amaret? quis non haberet in pretio? Irruat jam latro improviſo, veſtem detrahat, calce, pugno impetat, per ſterquilinium raptet, at-

que

que ita luto, ſordibusque inquinatam deſerat. Quid hoc ſpectaculo fœdius? Hæc cum eloquenter non minus, quam ad auditorum captum deſcripſiſſet, traduxit ad animæ gratia ſpoliatæ ſimilitudinem, neque dubitabat ſe ea die magno cum fructu peroraſſe. Verum concione vix dimiſſa, adſunt primores populi maximo cum tumultu, clavesque carcerum a Patre frementes depoſcunt. Ille ſubita re conterritus cauſam furoris ſciſcitatur; reponunt, conſtituiſſe ſe latronem illum, qui pulchram illam virginem ſic fœdaverit, comprehendere, & carceri includere. Senſit cum dolore bonus orator ſe tam luculento, ut ſibi perſuadebat, exemplo oleum, & operam apud auditorem hebetem perdidiſſe.

Quis jam crederet gentem tantopere ſtupidam dolis, & aſtutia valere? valet tamen, atque hanc artem in exploranda novi curionis indole vel maxime experitur.

Rei Noſter hoc adfert experimentum. Datus erat coloniæ cuidam novus parochus, cujus propenſiones, conſtantiam, & fortitudinem; vel contra metum, diſſimulantiam, & puſillum animum ut explorarent neophyti, indicunt in domo cujusdam e primoribus compotationem, eodemque ſub primas tenebras magno cum clamore, ac tumultu conveniunt. Subornant interea duos e ſuis congerronibus, qui rei indicium clanculum ſacerdoti faciant, & denuncient conſtitutum eſſe, ſi turbare hilaritatem vellet, ut e veſtigio interficiatur. Hæſit aliquamdiu ad tam inſperatam denunciationem novitius curio: erat enim res utrinque anceps; nam ſi adiret, videbat paratam a tumultuantibus mortem: ſin autem petulantiam hac vice diſſimularet, conclamatum erat de populo in poſterum intra probitatis limites continendo. Statuit tamen primum experiri, viamque ingreſſus eſt.

In-

Interim duo illi, quos dixi, adventum ejusdem ex condicto annunciant. Obſerantur continuo fores, & clamor dedita opera intenditur. Verum curio ipſo jam periculo audacior fores cardinibus ejicit, & ſe in medio temulentorum intrepidus ſiſtit. Cecidere ad paſtoris conſpectum animi, omnesque momento palatim, qua quisque potuit, dilapſi ſunt. At ille patrato hoc facinore, non in poteſtate modo gregem ſuum deinceps habuit, ſed venerationem quoque peculiarem eſt conſequutus.

At cuinam tribuemus facultati mirabilem illam in perſequendis animalium veſtigiis dexteritatem? Deerret equus, aut vacca, & ſe ſe a grege longiſſime ſeparet: Indus ejusdem veſtigia inter millena alia terræ impreſſa dignoſcet, ac ea ſequendo, quaſi filo quodam ductus, ad erronis latibulum citra ullas ambages perveniet (*a*).

 Unde

(*a*) Nec minor eſt Mexicanorum in feris perſequendis ſagacitas, quarum veſtigia vel in terra herbis

Unde repetemus mimicam illam inter ſe converſandi facultatem? conveniant lingua plurimum diſcrepantes, nihil obſtabit, quo minus res ſuas cum adjunctis omnibus ſibi mutuo geſtibus communicent, ſeriem rerum in coloniis ſuis geſtarum accurate exprimant, pactiones ſtabiliant, & in horas multas confabulentur.

Faſtu laborant incredibili. Siquod inter duos emergat jurgium, in cœlum ſe ſe mutuo cum contemtu efferent. Alter alteri legendi, ſcribendive ignorantiam, aut muſicæ imperitiam oggeret: hic ſe fabrum, aut æditumm eſſe jactabit: alter officio quodam publico gloriabitur, atque ſexcenta hujusmodi tanto ſupercilio obambulando identidem recoquent, ut everſores imperii Otto-

---

bis contecta, aut foliis deciduis conſtrata mire diſcernunt. Tantamarenſes, Opati, Jucatani, & nonnulli alii populi e veſtigiis hoſtium, quibuscum bella gerunt, ipſum adeo tempus, quo eadem terræ ſunt impreſſa, deſignant. Clavigero Lib. cit. pag. 162.

Ottomanici eſſe crederes. Nihil tam vile, unde gloriandi materiam non petant. Res ſuas, ut ut abjectiſſimas, laudari, atque æſtimari cupiunt, ac ea de cauſa curioni offerunt, quas acceptare, immo iis etiam uti neceſſe eſt, ſi nolis offerentem in mœrorem, ſuo tempore in vindictam degenerantem, conjicere. Ut ſuis Autor hoc in genere complaceret, fiſtulas illas, quas ipſi e cannis conficere, & ad choreas adhibere ſolent, ad artem, ut erat muſicæ peritus, elaboravit, nocteque nativitatis Domini ad cetera inſtrumenta muſica adhiberi juſſit. Res genti tantopere complacuit, ut omnem ceterarum coloniarum muſicam præ ſua contemnerent, feſtumque ipſum novo nomine a fiſtulis, quas ipſi *Eppiguiraſecco* vocant, deinceps adpellarent.

De Deo, rerumque origine nulla apud eos cura, vel cognitio, ut qui de his ne

cogitent quidem. Si quæras, cur ſol certa lege oriatur, & occidat, quis piſces in aquis condiderit, reponent ſolemne ſuum *ratirabaino*, quaſi dicas: rei cujusvis natura hoc ita fert. Nec tamen deſunt incertæ de primo homine fabulæ, ſed quas commemorare ſupervacaneum eſt. Duæ nationes erant barbaræ, quæ animarum transmigrationem, magnis obvolutam tenebris, credere videbantur, dicebantque probos a morte potu largiſſimo, ac mulieribus eſſe perfruituros: improbos in tigridem, porcum, aut aliud animal transmutandos. Et hinc fortaſſe ortus eſt uſus ille Indorum omnium, defuncti tumulo arcum, ſagittas, pauxillum tritici Turcici, atque potionem imponendi. Imbecillitas iſta mentis fecit, ut Præſules Americani diu dubitaverint, an gens uſu rationis gaudeat, & an poſſit lavacro ſacro initiari.

Ju-

Juvenes adultioribus, mulieres viris ingenio præpollent, ſed quod nuſpiam alibi, quam in rebus ſuis, & commodum aliquod adferentibus, elucet. Tametſi autem ad libidinem uſque ad trigeſimum ætatis annum vehementer propendeant, vim tamen amoris prorſus ignorare videntur.
„ Nuſpiam potui reperire, inquit Noſter,
„ ſignum aliquod, quo more reliquorum
„ mortalium amorem ſuum in uxorem, filios-
„ ve teſtarentur. Premitur non raro fame, &
„ ultima egeſtate parens, mater graviſſime
„ decumbit, &, qui opem ferat, habet nemi-
„ nem. Quid filius? quid filia? qui humanio-
„ res ſunt, forte ad eos inviſent ſemel, ſed
„ opem ut ferat, ut egeſtati ſubveniat, &
„ ægris opituletur, curæ Miſſionarii incum-
„ bit. Quoties incidi in reduces e piſca-
„ tione filios, qui cum promiſcue in ob-
„ vios diſſipaſſent piſces ſibi non neceſſa-

 „ rios,

„ rios, parentum fame laborantium, & „ ſenio confectorum immemores fuere? „ Quoties alios cum uxore opipare edentes vidi, qui fame, & morbo pene e„ nectis filiis ne buccellam quidem pro„ pinarunt, cum tamen ſupereſſet pluri„ mum, quod ſuis anatibus, aut gallinis „ projicere, quam filiis porrigere malue„ runt„? Hinc illa apud pueros terram edendi conſvetudo, pallor, & venter tympani inſtar diſtentus, totaque corporis ſpecies ſpectro, quam homini ſimilior.

Merito obſtupeſcas animum gentis ad res quaslibet indifferentem. Exardeſcet ſubito rei cujuſpiam conſequendæ deſiderio: at conſequutus die altera vel vendet viliſſimo, vel donabit, immo obtruder. Sæpe quis die tota capiendis, aſſandisque piſcibus inſudabit: verum reduci, ac bene onuſto occurrent alii, qui oblata ſpica tritici Turcici, aut filo goſſipino, quidquid arri-

arriſerit, tollent, immo nullo oblato pretio diripient, piſcatore ne quidem mutiente, ac interdum cum ſolo arcu, & ſagittis ad famelicos domeſticos revertente.

Mira eſt ad potum, & ebrioſitatem propenſio. Sicui *Cſicſam* large propines, habebis eundem continuo amicum, immo ſervum, aut mancipium. Animo ſolent ſemper eſſe hilari: ſive enim egeant, ſive abundent; valeant, vel ægrotent, ſemper ad ridendum ſunt proniſſimi. Irruat calamitas, moriantur cum uxore liberi, accedant dolores acerbiſſimi, vultum Indus non mutabit. Saltu, luſu, & jocis nunquam exſatiantur. Nulla de craſtino ſolicitudo: ſiquid præ manibus eſt, voratur tota die, nihil reponitur in futurum. Ubi nihil ſuppetit, jejunatur tam patienter, ut mirum ſit, quod cum tanta edacitate famem, vel ſitim ſic tolerent, ut ne queri quidem audiantur. Eadem eſt in morbis,

doloribus, & morte ipſa tranquillitas. Manum, aut crus, ſi forte reſecanda ſint, ipſi ultro offerent, & tanquam lignum ad ſe non pertinens amputari patientur, nec unquam vel ingemiſcent. Si acutiſſimo quovis morbi genere divexati de valetudine interrogentur, recte ſe habere adfirmabunt. Mortis nuncium, tanquam rei, cujus nihil ſua interſit, accipiunt, & ſi convaleſcant, ſe nullum omnino vel horrorem, vel angorem fuiſſe perpeſſos adſeverabunt.

Hinc exiſtit incredibilis illa vitæ negligentia, quam brutis ipſis animantibus tantopere curæ eſſe novimus. Incuriæ hujus, vix uſpiam ante auditæ, bina duntaxat iſthic depromemus documenta. Redibant Moxitæ duo ex itinere, ac ſole nondum occidente in ſilvula proxima lectulis de more ex arbore ſuſpenſis ad quietem ſe ſe componebant. Tigris prædabunda in

unum eorum ferociter inſiliit, at fallente veſtigio hominem penitus tranſilivit, & non niſi lectulum unguibus corripuit, jacentemque, cetera incolumem, in terram effudit, amborumque conclamatione ad interiora ſilvæ refugit. Quis ſibi perſvaderet hominem e faucibus belluæ tam feliciter elapſum perfugium apud vicinos contribules equites, qui ad cœnam eundem jam ante invitabant, non quæſiviſſe, aut ſaltem exemplo ſocii lectulum ad verticem arboris, quo evadere beſtia non poterat, haud tranſtuliſſe? Eodem tamen in loco iterum decubuit, & a revertente tigride dilaniatus crudelem in modum fuit.

Alter locum crocodilis infeſtum piſcatui delegit, & piſces, quos Mothyo vocari diximus, e ripæ cavernis excepturus aquis ſe immergere debuit. Adcurrit ad ſtrepitum ex adverſo prægrandis crocodilus, ille interea caput ex aquis arrexit,

mon-

monſtrumque nonnihil ſubſiſtere animadvertit: ne tamen interrumpere cœptam piſcationem cogeretur, tanquam ſui ſecurus denuo infra aquam ſe ſe demerſit. At cum iterum caput erigit, corripitur a crocodilo brachium, & homo repetitis vicibus ad fundum detrahitur; cumque belluam altera manu cultro identidem fodicaret, abmorſo brachio ad ripam enatavit, piſceſque prehenſos, die altera moriturus, domum ſecum retulit. Plurima ſunt generis hujus exempla, e quibus ſatis elucet, quam parum excordibus his populis vita ſua curæ ſit.

Secreti prorſus incapaces ſunt. Siquid arcani iis committas, divulgant continuo ſine omni verecundia. In rebus tamen ſuis coram curione tegendis miri artifices ſunt: nihil certe examinando reſciſces, niſi vel muneribus confeſſionem elicias, vel ex innocuis parvulis rem exſculpas. Sunt præ-

terea

terea ad profugiendum, & repetendas ſilvarum latebras proniſſimi. Abundent in pago rebus omnibus, habeant domum, uxorem, liberos, verbo ad commoditatem omnia, ſiquis adſit ſolicitator, profugient relictis rebus omnibus. Silvæ nimirum genti proprie patria ſunt, & nativum quodammodo domicilium. Unde cum primigeniam illam vagandi libertatem, & pecudum more vivendi licentiam tantopere anhelent, continuis munuſculis, & agendi lenitate ſunt retinendi. Illud certe, quanta cum voluptate in ſilvis degant, obſervatum eſt: tametſi enim rebus ad uſum vitæ neceſſariis domi abundent, ſi tamen illic vel octiduo commorari poſſint, redeunt tam valentes, & vividi, ut agnoſci vix poſſint.

Mentiendi conſvetudine excellunt, cumque de re aliqua interrogantur, non illud, quod in mentem, ſed quod in linguam

pri-

primum venit, reſpondent: unde mentiri, aut de mendacio aperte convinci, nullum apud eos probrum eſt, nec quisquam offenditur, ſicui vulgatum illud *mentiris* exprobretur, quod ipſum ſuo etiam Paſtori, ſalva ceteroquin reverentia, paſſim objectant. Siquid, uti ſolent, ſublegerunt, tametſi indicia adcumules, teſtes adducas, immo rem ipſam furto ſubductam apud eos deprehendas, nihil agas; licet enim indiciis omnibus adſentiantur, reos tamen ſe, aut fures eſſe præfracte pernegabunt. Furtis rerum viliorum ſic inſveverunt, ut ſiquis alterius agrum ſe præteriiſſe narret, quin ſpicam Turcici tritici, radicem yucæ, aut jam maturum platani racemum ſuſtulerit, irrideatur, nec fidem inveniat.

Cum de periculis etiamnum remotis agitur, ſunt intrepidi, hoſtemque unico ictu proſternunt; at ubi ad manus veniendum eſt, ſæpe vel uno eminus conſpecto

in

in fugam præcipites ruunt. Vecordiam gentis ob oculos ponet ſequens experimentum. Conſtituerant alicubi curionem ſuum, neſcio qua de cauſa, e medio tollere, idque eidem denunciarunt. Adſunt paulo poſt circiter quinquaginta, arcubus, & ſagittis armati, plumisque avium pro more exornati, ac forum tripudiando ingrediuntur. Evocatus ſacerdos fiſtulam ſclopeti rubigine exeſam, omnique cetero adparatu deſtitutam manu geſtans, quidnam ſibi vellent, requirit; ſagittis, reponunt, te extemplo conficere: at ille, bene, inquit, habet, ſinite me quoque arma mea expedire; quo dicto immittit in fiſtulam iisdem inſpectantibus, atque ſolicite dinumerantibus, ſeptem globos plumbeos, eamque tanquam exploſurus minitabundis obvertit: cohors tota momento diſparuit. Verum ſicut initio timidi, & vecordes ſunt, ita ſi hoſtem terrore correptum pedem retrahere ſentiant,

ſumta

ſumta audacia fiunt crudeliſſimi, quod quidem Luſitani non ſemel ſunt experti.

Innata genti deſidia fidem pene ſuperat, quam Indo non fames urgentiſſima, non uxoris proliumque extrema egeſtas, non denique præſentiſſima vitæ pericula unquam eximent, qui tunc demum ſe felicem, beatumque reputat, ſi diem otioſe ſtertendo tranſigat, tametſi careat rebus omnibus ad victum neceſſariis. Perpluat tectum, carie exedantur columnæ, ruinamque minentur, manum non admovebit, nec, niſi curio acriter inſtet, agrum excolet, nec ſementem faciet, nec a maturis frugibus feras, aut furaces aves arcebit. Equum, cujus ceteroquin eſt adpetentiſſimus, de via redux palo ante ædes deligat, atque feſſum, & inpaſtum die tota relinquit, immo ne ſellam quidem demit, nec, ſi morſibus veſpertilionum exulceretur, curam ullam adhibet. Ne arbores firmas, ut ut non

longe

longe diſſitas, cogatur cædere, proximas putredine vitiatas, & a vento dejectas arripit, atque ex his ædium columnas, & lectulorum ſuſtentacula, nec ſatis fiſtucata, conſtruit: quare lignis ponderi cedentibus ſæpe cum omni familia obruitur (*a*).

CAPUT III.

De variis ſuperſtitionum generibus.

Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, facile quisque præcipiet animo, quam craſſa, & cruda

(*a*) Characteres gentis hoc capite deſcriptos non tam climati, vel innatæ mentis imbecillitati, quam educationis neglectui tribuendos eſſe ſatis conſtat e legibus, moribus, artibus, & inventionibus veterum Peruanorum, ac Mexicanorum, quorum nonnulla hodiedum ſuperant monumenta, quæ vel peritiſſimorum admirationem rapere in ſe merito poſſint. Vid. Acoſta Hiſtoire nat. & mor. des Indes Liv. 6. Quis autem vel hodiernis barbaris diſputet dexteritatem, & inventionis laudem in iis rebus, quæ ad quotidianas eorundem neceſſitates pertinent? Elucet ſane hæc in variis venandi, piſcandive modis aptiſſime excogitatis,

cruda debeat eſſe ſuperſtitio apud populum tanta mentis imbecillitate laborantem, quam ipſam non tam ex animi inductione, quam e majorum traditione ſectantur: ſi enim detegantur, ac dedoceantur, rident ipſimet, & explodunt. Duces, ac Magiſtri ſuperſtitio-

tis, in texendis corbibus, ſportisque vimineis, in armis fabricandis, aliisque rebus ad uſum vitæ quotidianæ facientibus. Iroquenſium vero, atque aliorum verſus ſeptemtrionem incolentium notiſſima quoque eſt maſcula, & aptiſſimis metaphoris animata, ſeque in animos audientium non tam per verba, quam per imagines rerum inſinuans eloquentia.

Undenam vero indolentia illa, omnique pene ſenſu deſtitutus animus exiſtat, difficile eſt conjectura adſequi. Legi certe ſine horrore non poteſt, quam exquiſitis, & in plures horas productis tormentis gentes nonnullæ in America ſeptemtrionali in hoſtes bello captos ſæviant, qui tamen aliquod doloris indicium tam parum produnt, quam qui rectiſſime habeant. Corpora horum hominum craſſa cute, & prædúris muſculis carneis eſſe inſtructa ait Ulloa: in veteribus certe ſepulcris reperta ſunt crania, eodem adteſtante, ultra modum ſolida, & ſex, ſeptemve lineas craſſa, unde conjicere licet compagem eorum rudiorem, & ad multa perferenda magis comparatam eſſe. Lib. cit. T. II. pag. 99.

ſtitionum *Motire* adpellantur, ætate plerumque provecta ex utroque ſexu, cui titulo conſequendo ſufficit comminiſci ſe cum tigride, crocodilo, aut, quod peculiare, cum *Acſane* colloquutum fuiſſe. Quid autem *Acſane* reapſe ſit, ne ipſi quidem norunt, cum numen iſtud nemo unquam viderit, nec oraculum ejusdem audierit. Nomen hoc ſine re a majoribus cum inficetis, quibus temere adſentiuntur, fabellis acceperunt. Creditur eſſe genius quidam duplex: alter, qui ſilvis, fluviis, lacubus, rebusque ceteris ineſt: alter, qui homini, tanquam tutelaris quidam, proprius ſit. Genii hominum alii aliis putantur eſſe potentiores; unde cum eorum clientes inimicitias inter ſe fovent, *Acſane* debilior fortiori tandem ſuccumbat, neceſſe eſt. Vix ullus certe moritur, quem non a genio inimici interemtum credant; unde cum

ſe cognati vindicare aliter non poſſunt, plerumque ad venena confugiunt (*a*).

Commenta hæc propagandi cura fere penes mulieres eſt. Siquam aut venter, aut ebrioſitas urget, fingit continuo iratam eſſe *Acſanem*, nec niſi gallinis, anatibus, atque cſicſæ amphoris placandam, quæ niſi e veſtigio comportentur, de vita populi, rebusque omnibus conclamatum eſſe denunciat. Incredibile dictu eſt, quanta hujus-

(*a*) Impoſtores hos Orinoquenſes *Piace*, Guyanenſes *Piayes*, alii aliis compellant nominibus, omnes tamen fere populi Americani, nondum Chriſtiani, etiam ſeptemtrionales hujus furfuris præſtigiatores habent, qui apud plerosque non niſi poſt edita longiſſimæ inediæ, ſitis, dolorumque ab aculeis veſparum, formicarum, & culicum inflictorum ſpecimina, ritibus, ac ceremoniis non minus acerbis initiantur. Vid. Barrere Reiſe nach Guyana, & Charlevoix Hiſt. de la nouv. France T. VI. edit. in 8. quod quidem in communione tot aliorum rituum, & conſvetudinum communem omnium horum populorum, ut ut linguis, atque regionibus plurimum differentium, originem videtur non obſcure indicare.

jusmodi mulierculæ habeatur fides, quam promtum præſtetur obſequium. Cibis, & poturis large comportatis, diem placationi præſtituit, qua illuceſcente anatem aſſat, & potum oblatum vaſi, genio conſecrato, infundit, cunctisque domo exactis ipſa abſumit: deinde offerentes convocat, præſentibusque comminiſcitur *Acſanem* ipſa etiam oſſa, quæ interea caute recondit, præ voluptate devoraſſe. Ita hæ præſtigiarum artifices, titulis e morbo, vel morte cujuspiam petitis, alium poſt alium devorant.

Siqua mulier gemellos peperit, maritus pro genuino illum tantum agnoſcit, qui prior eſt editus: alterum credit eſſe *Acſanæ*, unde puerperam, tanquam eidem acceptam, omnes in magna habent veneratione, quæ uſque eo interdum progreditur, ut vir e domo plane demigret, conjugemque relictam lautius, quam ante, tractet. Proles *Acſanæ* vel cælebs omnino mane-

re, vel non niſi cuidam e gemellis debet nubere.

Marari, planta verbenæ adfinis, in uſus ſuperſtitioſos diligenter colitur, cujus decocta folia potum ſuppeditant, qui dolores, & inſomnia horis quatuor, & viginti duratura generat. Siquis rem furto ſublectam deprehendere, vel arcanum quodpiam reſciſcere vult, adit cum muneribus præſtigiatorem, eidemque vota ſua explicat, qui, ſi citra epotum illud decoctum rem apte enodare poteſt, illo abſtinet: at, ſi conſilium in arena nullum ſuccurrat, mavult potionis malum experiri, quam exiſtimationis detrimentum facere. Die inſequenti reſpondet clienti, ægre ſe habere, quod noctu a furis, vel cujus arcanum reſcire cupiebat, *Acſane* peſſime ſit multatus, nec quidquam extundere ex illo potuerit: aut certe reſponſum obſcuris ambagibus involvit, & culpam in aliquem ſuorum inimicorum conjicit, ut ſcilicet plures in eundem concitet.

citet. Fuit impoſtor, qui res furto ipſe ſubduxit, ac terræ infodit, ut majorem divinandi artem oſtentaret, & munera plura extorqueret: prælia deinde noctu cum genio inita glorioſe deprædicavit, atque ita latibulum rei ſubductæ indicavit.

Feris, quas adgredi timent, *Aramæ* nomen imponunt, ut ſcilicet iis non ex metu, ſed propter venerationem parcere videantur, quas inter cum tigris maxime ſit metuenda, eam plane *Aramamaco*, ſummum imperatorem vocant, quæ ſiquem dilaniavit, corraditur omnis interemti ſupellex, ac ſingulis noctibus præ foribus exponitur, ut tigris, ſi libuerit, auferat, ad quam omnia jure hæreditatis pertinere dicunt, ut adeo, ſiquis inde quidquam ſubducere auſit, tanquam læſæ Majeſtatis reus ab *Aramamaco* diſcerpendus ſit: quod quidem tam religioſe obſervant, ut, licet uxor, & liberi extrema laborent fame, ex

omni tamen illa ſupellectile ne granum tritici Turcici attingant.

Fingunt non raro furciferi tigridem quamdam ferocientem, quæ ſtragem maximam denunciaverit, niſi furori epulis, ac potu occurratur, & credulos ad hæc omnia largiſſime ſubminiſtranda compellunt, quibus undique adportatis, ad veteratoris domicilium horis nocturnis turmatim conveniunt, & ante fores ſilentio conſident, ſolus *Motire* ingreditur, ferarumque imperatorem fiſtulis, hunc in uſum paratis, ad convivium evocat, quem paulo poſt ceteris ante januam metu, ac horrore torpentibus, jam adeſſe, epulari, dapesque collaudare nunciat, qui hiſce auditis, nihil jam ultra metuendum rati, ſenſim e terrore animum recipiunt. Interea ventrem præſtigiator intus farcit, tigridemque plene placatam eſſe comminiſcitur, & ampliſſimam præſentibus omnibus dediſſe facultatem

tem nocte tota compotandi. Verum ut credulis tanto magis imponat, mentitur interdum ſe multa cum *Aramamaco* arcana contuliſſe, atque ad fidem abſurdis his fabulis conciliandam capillos ipſe ſibi evellit, & unguibus corpus ſauciat, idque ab irata tigride paſſum ſe fuiſſe fingit, quæ omnes diſcerptura erat, niſi ſe unus ipſe pro ſalute omnium conſecraſſet. Nonnunquam, ſi epulas aliter extorquere nequeat, ſeipſum in tigridem commutaturum, ſtragemque memorabilem editurum denunciat, & fidem, quod mirere, invenit.

Fabulam, ridicula adſperſam ſuperſtitione, habebant de iride. Ajebant illam eſſe Aramam feminam, ſolis conjugem, cujus officium ſit terras a viro exuſtas imbrium beneficio recreare. Cum enim viderent arcum illum non niſi pluvio tempore in conſpectum venire, & tunc arborum cacuminibus velut inſidere, perſva-

debant ſibi aquarum illum eſſe Præſidem, arboresque proceras omnes ſua in tutela habere. Quare Autor initio impetrare nullo modo potuit, ut eas ſternerent, & navigiis in uſum coloniæ fabricandis aptarent, quod putarent fabricas ejusmodi ab iride, vindictæ ſtudio, una cum vectoribus demergendas eſſe. Itaque neceſſe fuit, ut primus ipſe admoveret ſecurim, ac ceteros exemplo ſuo ad navigii contignationem excitaret, qua denique abſoluta effulſit paulo poſt iris, & Noſter arrepta opportunitate omnes, quotquot aderant, in ſcapham jam adparatam tremebundos compulit, optimaque uſus navigatione poſt horæ quadrantem in conſpectu iridis ad portum incolumes reduxit, atque ita inanem formidinem, cunctis gaudio exilientibus, in perpetuum ſuſtulit.

Sed infinitus ſim, ſi omnia, quæ circa ſilvas, arbores, fluvios, & lacus ſuperſtitioſe

tioſe obſervant, minutatim perſequi velim; impetrare tamen a me non poſſum, quin de ampliſſimo lacu *Origuere* paucis commemorem. Hunc Moxitæ naviculis ingredi nunquam audebant, quod crederent piſcem quemdam *Jono* mole corporis, & ferocia horrendum eidem cum Aramæ dignitate præſidere, qui lintres omnes ingredi auſos evertat, & remiges piſcibus minoribus devorandos conſignet. Adſurgebat in margine ripæ collis, amœniſſima conſitus arborum, & fruticum varietate, Aramæ ſcilicet *Jono* palatium. Superſtitione gentis cognita, juſſit Autor cimbas omnes adduci, ac die præſtituto muſicos inter concentus cum tota fere colonia e portu ſolvit, curſumque, tanquam aliud agens, verſus lacum illum direxit, cujus marginem cum adtigiſſet, recta ſe ad collem illum devehi velle pro imperio edixit. Mille agebant artibus, ut illum a conſilio dimoverent;

verent; ſed perſtitit firmiter in ſententia. Lacum igitur pene exanimati ferali cum ſilentio ingrediuntur. Conticuere repente conſveta tripudia: obmutuere fiſtulæ, ac tympana. Ille, re diſſimulata, muſicos, cantores, & prout quisque ad hilaritatem propenſior erat, adoritur: at nemo ne reſpexit quidem. Sed cum timoris cauſam probe ſibi cognitam eſſe diceret, ac ſuperſtitionis vanitatem graviter exprobraret, primum quidem alius poſt alium ſubtimide, deinde vero, cum collem illum ſalvi adtigiſſent, atque ad paratas epulas exſcendere juſſi fuiſſent, univerſi tanta lætatione, & vociferatione cœperunt exultare, ut commonendi fuerint, ne auribus graves porro eſſe pergerent.

Nec minus eſt ludicra, quam circa reſectos ungues, & capillos obſervant, ſuperſtitio: nam hæc diligenter collecta, atque in faſciculum colligata intra paleas,

quibus

quibus tecta domorum conſtant, recondunt: & capillos quidem, ut infantum in lucem edendorum capita *Acſane* iisdem contegat; ungues autem, ut habeat in promtu, quos caſu aliquo amittendis ſurroget. Cura hæc adſervandorum id modi reſegminum, eo interdum progreditur, ut, qui non habent repoſita, pretio ab aliis coemant, ne ſcilicet liberi capillis deſtituti monſtroſum genti ſpectaculum præbeant. Fruſtra vero ſis, ſi opinionem hanc inveteratam eximere velis, contendasque morem hunc in Europa inuſitatum ſuapte ridiculum eſſe: continuo enim reponent, ex intermiſſione ejusdem procul dubio fieri, quod curiones Europæi crines perbreves, immo ſæpe vix ullos habeant: cumque calvitium res apud ipſos plane peregrina ſit, magis confirmantur in ſententia.

Priusquam argumentum iſthoc dimittam, pauca de morbis, eorumque curationibus

ad-

adtingam. Morbos pleroſque ab *Acſane* putant proficiſci, nec poſſe ſine ejusdem ope curari. Si graviores non ſint, tempori depellendos relinquunt: at, ſi videantur eſſe periculoſi, *Motire* accerſitur, eique conditio mali non ſine venerationis cujusdam ſignificatione explicatur, qui, hauſto *Marari* decocto, rem ſe cum *Acſane* collaturum ſpondet. Accedit ægrotum die ſequenti, &, quæ interea aſtute commentus eſt, enarrat. Res plerumque redit ad genii ſitibundi placationem, ſine qua illum neque cauſam ægritudinis detegere, neque medicinam ſuggerere velle mentitur. Si æger ante placationem obeat, id ipſum aliis promtius obſequendi exemplum præbet: ſin autem convaleſcat, numen propitium novis eſt muneribus excolendum.

Si vis morbi, placato etiam genio, non remittat, in promtu eſt nova impo-

ſtura.

ſtura. Comparet *Motire* cum reconditis apud ſe lapillis, tabacæ folio, vermiculo aliquo, anatis pluma, aut aliis id genus adparatibus, quos latere in adfecta ſtomachi parte pejerat. Succedunt itaque fricationes, & varia ligamina, quibus mali fomes ad extremam cutem propellatur: ſequuntur deinde repetiti ſuctus, ac interea lapillus, folium, pluma, aut vermiculus ori ſugentis clam inſeritur, & ægroto, tanquam e corpore arte exemtus, oſtenditur, qui tametſi interea nihil lenimenti ſentiat, relevatum tamen ſe fateri, & accepti beneficii memorem fore ſpondere debet: quodſi moriatur, culpa omnis in *Acſanem* rejicitur.

Si de morbo Indus interrogetur, non facile reponet aliud, quam cor ſibi dolere, unde *Motire* novam præſtigiarum ſumit occaſionem: pollicetur enim infirmo cor aliud, eumque in finem lapillum illi porrigit, quo prehenſo, utcunque torqueatur, bene ſe valere debet adfirmare. Cum partus dif-

difficilis mulierem cruciat, prægrandes aliquot bufones ad lectum parturientis deligantur, qui fœtu, tametſi poſt dies aliquot, feliciter edito opipare tractati, & *ſicſa* adſperſi dimittuntur: ſi vero proles, vel puerpera moriatur, eodem tumulo ſepeliuntur. Sed & cantor ſolet parturientibus adhiberi, qui tibiis, hunc in uſum factis, & voce lugubri opem *Acſanæ* imploret. Quia vero in externis vulneribus locus fraudi non ita facile patet, contendunt hi veteratores genus iſthoc curationis ſupra vires *Acſanæ* eſſe.

CAPUT IV.

De variis venena parandi, iisdemque utendi modis.

Venena alia venationi, alia hominibus de medio tollendis deſtinantur. Agemus de utrisque ex inſtituto breviter. Vimini

cui-

cuidam, quod per ramos arborum hederæ inſtar ſerpit, & tanquam funis quidam ligneus arbores inter ſe nectit, (*Coropi* vocant) corticem ope teſtæ limacum abradunt, & fibras revellunt, quibus aquam ferventem adfundunt, eamque percolando in vas ſubjectum per goſſipium deſtillare ſinunt, ac die ſequenti lento, ne ebulliat, igne tamdiu decoquunt, dum, aqua ſenſim evaporante, ſedimentum inſpiſſetur, quod ſoli poſtea biduo expoſitum deſiccant ita, ut indureſcat.

Cum veneno hunc in modum parato imbuere ſagittas volunt, tabacæ fortiſſimæ folium in ore primum maſticant, deinde guttas pauculas indidem expreſſas veneno illi indurato adſtillant, ut ſcilicet pars ejusdem extima nonnihil ſolvatur, & ſagittis adfricatis inhæreat, quas iterum ſoli deſiccandas

candas exponunt, ac demum pro futuris uſibus intra cannas recondunt (*a*).

San-

(*a*) Condamine in ſuo ad fluvium Amazonum Itinerario addit, famam iis in locis eſſe cum vimine hoc triginta variarum herbarum, & radicum ſpecies incoqui. Gilij Lib. cit. T. II. pag. 388. ait in Maragnone duo confieri veneni genera, quorum alterum e ſucco viminis cujusdam coquitur, adverſus quod antidotum certiſſimum ſaccharum, aut mel ſit, quod ipſum de ſacchari virtute jam Condamine prodidit. Idem Gilij in colonia quapiam ad flumen Orinocco diverſatus venenum iſtud ſe quidem vidiſſe dicit, ſed parandi rationem reſciſcere haud potuiſſe, quod non niſi a barbaris ſilvas etiamnum incolentibus confiat, a quibus jam paratum neophyti mercantur. Remedium illic contra hoc veneni genus eſt ſal marinus aqua ſolutus, vel urina. Ceterum modum ipſum illud parandi nemo accuratius Noſtro prodidit, quo magis dolendum genus viminis ab eodem non eſſe determinatum.

Heriſſant, poſtquam plurima variis in animalibus veneni hujus cepiſſet experimenta, hæc de efficacia ejusdem tradit. 1) Virus hoc non videri agere in venarum, & arteriarum ſanguinem, qui in plerisque mortuis animalibus colore, & conſiſtentia naturali fuit deprehenſus. 2) Muſculos omnes ita contrahi, ut in iis ne gutta quidem reſtet ſanguinis. 3) Animalia ſumto hoc veneno fieri paralytica, nec tamen peculiarem prodere doloris ſenſum, niſi jam morti proxima: Phil. Trans. Vol. 47. pag. 38.

Sanguis animalis tali ſagitta icti circa cor totus hepatis inſtar coagulatur, caro autem, cruore omni deſtituta, eſt candidiſſima, atque edentibus innoxia, modo circa limbum vulneris ipſo livore diſcernenda portio reſecetur. Certe vel minimam aviculam tali ſagitta fixam impune comedas. Sufficit autem, ut ſagittæ cuſpis vel cutem feræ, aut auriculam leviter perſtringat, modo ſanguinem eliciat; concidet intra ſpatium centum paſſuum. Autor ut virus iſtud experiretur, cuſpidem aciculæ eodem tinxit, cutemque galli gallinacei leviter raſit, qui intra manus paulo poſt exſpiravit. Alias tigridem canibus venaticis in arborem compulit, & ſagitta hujusmodi oris duntaxat flatu e canna diſploſa feriit: continuo fricare vulneris locum pedibus cœpit, deinde more temulentorum miras inter geſticulationes titubare, arborem dimittere, ac ſenſim tandem emori.

Aliud veneni genus e foliis cujusdam arboris, & viminis alterius fibris, eodem, quo ſupra, modo conficiunt, quo ſauciatum animal ad paſſus ſexaginta corruit, ſed caro tota inficitur, & tanquam putrefacta paulo poſt diffluit. Modum alterius, & longe quidem vehementioris toxici adparandi ſolicite celant, cujus tanta eſt efficacitas, ut ſi ſagitta eodem imbuta in arborem proceram, & ſaniſſimam infigatur, folia intra horas viginti quatuor omnia una cum ſucco amittat (*a*). Hoc veneno infecit die quodam Sacerdos, inſpectantibus militum Hiſpanorúm Præfectis, duo caſei ſegmenta, quæ devoranda duobus dedit canibus, quorum unius collo dentem crocodili ſic adpendit, ut cutem ejus non contin-

(*a*) Gilij loc. cit. adſerit e binis in Maragnone uſitatis venenorum generibus inter ſe mixtis toxicum enaſci tantæ efficacitatis, ut vitam ipſis adimat vegetabilibus.

tingeret. Alter interiit; hic vero vertiginem duntaxat paſſus vomitu malum omne depulit. Huic poſtea dens ille arctius ad pellem adſtringebatur, & duæ objiciebantur offæ venenatæ, alteri, qui ſocius denuo addebatur, unica. Hic pauca intra momenta exſpiravit: ille omnibus, qui aderant, ſtupentibus evaſit incolumis.

Venena tollendis hominibus deſtinata alia celerem, alia lentam mortem adferunt. Parantur e variis plantarum, reſinarum, aut ſalium generibus. Omnium violentiſſimum ſuppeditat arbor, ſub cujus umbra planta creſcere nulla poteſt, ſed terra, quaſi nitro adſperſa eſſet, albeſcit, quam corraſam in patella aqua bulliente perfundunt, filtrant, & concretos ſalis criſtallos, poſt evaporationem aquæ, colligunt (*a*). Qui

 ve-

(*a*) Genus hoc ſalis non eſſe terræ ſolius procreationem vel inde patet, quod ſub certæ tantum arboris

veneno hoc tollere inimicum vult, tantillum e contritis ſalium iſtorum pulveribus in manu dextra ſub ungue pollicis reconndit, hoſpites deinde ad compotandum invitat, & hauſtum pro recepto more in cucurbita ſingulis propinat. Cum propinandi

---

ris umbra deprehendatur, cui veriſimiliter originem debet, & vel a radice ſub terra, vel, quod probabilius, a foliis ejusdem exſpiratur, cumque induruit, ventis dejectus in terram depluit, ſive deinde in arbore ipſa jam plene formatus, inque ſuccis nativis ſolutus ſit, ſive acidum duntaxat ejusdem in planta contineatur, quod exſpiratum baſim aliquam ſibi convenientem reperiat, eique uniatur. Luculentum rei exemplum adfert Molina in *Ocymo*, quod ſalinum vocat. „ Planta, inquit, hæc a primo vere ad hie„ mem uſque perdurans, horis matutinis quotidie red„ undat parvis ſalinis globulis, roris ad inſtar ſplen„ dentibus. Manna hoc ab incolis collectum adhibe„ tur pro ſale communi, cui non cedit. Planta quæ„ vis dimidiam unciam quotidie ſuppeditat. Phæno„ menon hoc difficilem propterea habet enodationem, „ quod ſolum, cui planta hæc innaſcitur, nihil pla„ ne contineat ſalis, & a mari plus quam ſeptuagin„ ta milliaribus disjunctum, toto regno ſit fœcundiſſi„ mum „. Lib. cit. pag. 117.

di ordo ad victimam morti deſtinatam pervenit, pollicem liquori inobſervatus immergit, eumque ſic inficit, ut exhauriens poſt horam exſtinguatur. Credi vix poteſt, quot homines, ipſos adeo religionis magiſtros, leviſſimis de cauſis irritati hoc modo perdant, cujus rei Noſter complura vidit, & deſcripſit exempla longe funeſtiſſima.

Non deſunt veneni genera, quæ vel pede calcata fœdum tumorem adferunt, allatura mortem etiam, niſi medicamentis in tempore ſuccurratur. Alia id efficiunt, ut homines dyſenteria ſenſim contabeſcant, vel certe ſic exſiccentur, ut ceteroquin valentes vento pene abripi poſſint, vitamque omnem in lectulo tranſigere cogantur: alii febri laborantium more ſtata quadam veluti periodo acerbiſſimis capitis doloribus ad inſaniam uſque divexentur: alii de nervorum cruciatibus querantur: alii cibum retinere nequeant; alii denique ſto-

machi indigeſtionibus, ſomno nimio, aut inſomniis, virium defectu, & ſexcentis ejusmodi calamitatibus adfligantur.

CAPUT V.

De modo barbaros conquirendi, & ad civilem ſocietatem, ac religionem pelliciendi.

Sacerdotes cicurandis, ac religione inſtituendis hiſce barbaris ex Europa in Americam traducti colligere eos primum, ac in ſilvarum latibulis ferarum ritu latitantes venari quodammodo debent. Laboris hujus improbi exequendi rationem hic paucis adumbrabimus.

Expeditiones menſe Aprili, & ſequentibus ſuſcipiuntur, quæ in regionibus calore, aquis, infeſtis animalibus, gramine, ac ſilvis imperviis redundantibus, quantis cum moleſtiis ſint conjunctæ, facile æſtimabit,

mabit, qui perpenderit, easdem ſæpius repeti, & interdum ſine fructu ullo ſuſcipi oportere, quæ ſi ad menſes æſtivos extrahendæ ſint, itinerantes aquæ defectu excruciantur, vel aquis jam defluentibus uſu navicularum deſtituuntur, viamque omnem pedibus, per teſqua deſerta, & inhoſpita coguntur emetiri. Sarcinas ſuis quisque humeris defert, cum propter paludes ubique occurrentes, ſilvas item denſiſſimas, nullus mulorum, aut equorum uſus eſſe poſſit. Supellex omnis viatorum eſt ſacculus farinæ e tritico Turcico probe toſto, lectulus penſilis, ſeu *Hamaca*, culter grandior ramis arborum reſecandis, cucurbita aquæ hauriendæ, arcus, & ſagittarum faſcis ad venationem, veſtis, qua in itineris ingreſſu quisque fuit indutus, apud ſacerdotem inſuper precum diurnorum liber.

Nox in ſilva, cultris non raro perrumpenda, eſt exigenda medias inter viperas,

& ſerpentes venenatos, fœtorem præterea intolerabilem, e tot annorum foliis putrefactis exhalatum, cum ſcilicet terra pluviis pateat, non item ſolaribus radiis, ventisve perſpirantibus. Hic tamen eſt figenda ſtatio, partim propter ignis fovendi neceſſitatem, partim lectuli in arbore ſuſpendendi cauſa. Huc accedunt ſpinæ pedes Indorum nudos fœdum in modum cruentantes. Sed neque campi præbent commodius iter, aut diverticulum: hi enim ob aquas reſtagnantes, quæ ſolis radios repercutiunt, ardentiſſimi ſunt, gramen item alunt equitis altitudine denſiſſimum, quod niſi ſcipione ante te divellas, paſſum vix figes. Permiſta inſuper eſt gramini herba quædam acuta, quam Indi *Ihococſo*, ſeu inſtrumentum ſcindens vocant, quæ cutem pungit, & ſanguinem elicit, ut taceam culices, ciniphes, & reliquum inſectorum exercitum.

Poſt-

Poſtquam ſtatio nocturna binis ante ſolis occaſum horis defixa eſt, comites itineris ad venandas feras, aut piſces capiendos expediuntur, qui ſi aut nihil prehendant, aut feſſi de via pro eo, ut operam dent piſcatui, aut venationi, in umbra conſideant, & obdormiſcant, tunc enimvero de cœna conclamatum eſt, maxime ſi farina in ſarcinis jam deficiat. Sed & nox inter vigilias eſt agenda, cum igne ſæpe elangueſcente tigrides, odorem carnis ſequutæ, ad peregrinantes inviſant, & clamoribus vigilantium abſterreri, inque fugam agi debeant. Quis autem vel depulſa bellua quiete ſomnum capiat?

Nocte hunc in modum exacta, rurſus moventur primo diluculo caſtra, ſed propter innumera impedimenta vix duo paſſuum millia conficiuntur. Quæras fortaſſe, quisnam itineri tam longinquo, & moleſto demum ſit ſcopus præſtitutus? Nullus certe

ple-

plerumque, ſed venatorum more præda modo hic, modo illic, exitu prorſus incerto, veſtigatur. Solent barbari æſtate gramen luxurians, & aridum exurere, ac tunc, cum regio omnis planiſſima ſit, cœlum ab igne, auroræ borealis inſtar, relucet, quam quidem plagam neophyti accurate notant, & tanquam acum quamdam magneticam quam exactiſſime ſequuntur, & ad ſedem barbarorum citra errandi periculum deveniunt. Si populus, qui campos incendit, vagabundus ſit, quæruntur limo infixa pedum veſtigia, rami in ſilvis hic aut illic decuſſi, ſemita denique aliqua, quæ certa eſſe ſolent ejuſdem in proximo latitantis indicia.

Cum ſedem barbarorum in propinquo eſſe jam conſtitit, ſtativa in aperto prope ſilvam loco ad duo paſſuum millia collocantur, atque ſepimento contra repentinam irruptionem communiuntur. Deinde neophyti

aliquot

aliquot prope ſemitam quampiam in inſidiis ponuntur, ſiquem e barbaris citra clamorem, & ſtrepitum comprehendere poſſint. Si res ceſſit e ſententia, capti munuſculis a Sacerdote donati ad ſuos continuo remittuntur. Si adprehendi nullus omnino poſſit, expediuntur de nocte Indi aliquot, qui prope eorum latibula in ſemitis adpendant arboribus cultellos, tintinnabula, ſecures, numiſmata, ſpecula, vitra, ligulas cumprimis rubras, aliasque barbaris nondum viſas id genus merces, quibus perſvadeantur advenas eſſe amicos, velleque amicitiam ſecum conſtabilire.

Die illuceſcente munuſcula hæc primi qui vident, avide diripiunt, reſciendique cupiditate, undenam ea profecta ſint, incenſi pedum veſtigia, ramosque decuſſos ſequuti ad ſtationem peregrinorum deveniunt, ubi plura ejus generis eminus iisdem oſtentantur. Siquis, ut plerumque fit,

ha-

habendi deſiderio timorem vincat, & propius accedat, crepundiis talibus oneratus redit, ceterosque ad audendum excitat. Accipiuntur omnes cum peculiari benevolentiæ, quantum ſignis effici poteſt, atque amicitiæ ſignificatione, cumprimis autem, ſiquis adſit, nationis Princeps. Invitant viciſſim hoſpites ad ſuum receptaculum, quo etiam, ſed non ſine magnis cautelis, itur. Si contingat, ut allici ad ſtationem nemo omnino poſſit, de reditu, re infecta, cogitandum eſt. Fit ſane interdum, ut iter hujusmodi duorum, aut plurium menſium ſine ſucceſſu reſumatur. Si vero peregrinis anates, gallinæ, aut piſces a barbaris ſubmittantur, res eſt indicii optimi, ſignaque officii, & humanitatis nutibus conſvetis utrinque exhibentur. Nulla de emigratione fit adhuc mentio, amicitia tantum ſtabilitur, reditus adornatur, & fides datur peregrinos poſt tot, quot de-

deſignantur, lunas novis cum muneribus reventuros eſſe.

Facile promiſſis adſentiuntur, & annonam pro reditu copioſe congerunt, ſed quæ bajulorum defectu maxima ex parte illic relinquenda eſt. Indicium autem, quod reduces ſequi & ipſi parati ſint, illud eſt, ſi Sacerdoti ab *Arama* duo tresve juvenes, ac totidem virgines, quos ad locum coloniæ deducat, dono offerantur. Munere iſto regulus Sacerdotem dignitate ſibi æqualem, parique veneratione dignum eſſe recognoſcit. Juvenes mittuntur pro obſequiis, puellæ pro concubinis (cum ſcilicet Sacerdotem Arama ſuis ex moribus æſtimet); qui nudi fuerunt, decenter veſtiuntur, ornantur, &, quantum penus ſinit, opipare habentur, atque ita domum abducuntur, ubi linguam uſitatam condiſcunt, ſuamque neophytis communicant, templum, equos, vaccas demirantur, concentus muſicos audiunt, vi-

cinas

cinas Chriſtianorum ſedes adeunt, benigne habentur ubique, & ſic ad ſuos demum non ſine munuſculis remittuntur, ac rerum viſarum narratione, cumprimis autem, quod virgines intactæ revenerint, demigrationem facile perſvadent.

Ante vero, quam nova barbarorum tribus deducatur, domus hoſpitibus venturis exſtruuntur, veſtes, ſi nudi ſint, adparantur, providetur de cibariis, quæ omnia e proximis Chriſtianorum vicis promte adminiſtrantur, atque ita demum ſuſcipitur ad deducendos iterum expeditio. Die ad migrandum definita, ingens ubique exoritur clamor, & concurſatio tanta cum confuſione, ut cervorum gregem citius in ordinem redigas. Nihil eſt in omni ſupellectile, quod non quisque ſecum aſportare velit, tametſi certos reddas hæc omnia, & longe quidem meliora, in loco habituros. At cum ſub his ſarcinis cito delaſſentur,

eas

eas pone viam ſenſim adpendunt arboribus, ut adeo ridiculum ſit videre hic amphoram, illic ollam ſemifractam, alibi corbem, tanquam cauponarum hederas, e ramis dependere. Iter multis de cauſis majore cum moleſtia relegitur. Edulia ad dies complures ſuffectura, ſolita gentis voracis edacitate intra paucos abſumuntur, & poſtea urgente fame ad Sacerdotem, tanquam ampla ſecum portaret promtuaria, turmatim adcurritur, nec ſuppetit alia famelicos ſatiandi ſpes, quam e neophytorum piſcatu, & venatione.

Siquem morbus in via corripuit, humeris eſt deferendus, primusque curio ſuos oneri ſupponat, neceſſe eſt, ut cetera turba exemplum caritatis ſequatur. Mulieres nonnihil fatigatæ Sacerdoti unam, alteramve prolem, aut ſarcinæ partem liberaliter adpendunt, cui præterea cruda gentis indoles, importunitas, licentia, ac ſexcenta

alia, & hilari quidem vultu, ferenda ſunt. Ubi ad coloniam Chriſtianorum tandem perventum eſt, nemo ſatis deſcribat ſtuporem illum, & admirationis ſigna, quæ produnt, cum templa, domus, campanæ, inſtrumenta muſica, equi, oves, vaccæ, & alia rerum genera nunquam ante viſa oculis objiciuntur. Quid cum Sacerdotis cubicula curioſe obeunt? obſtupeſcunt ad omnia, librum, calceum, & quidquid in manus venit, tametſi nulli futurum uſui, familiariter tollunt; digitos ejusdem ſolicite explorant, os inſpiciunt, dentes adtrectant, oculos, cumprimis mulieres, diſtrahunt, reſciendi cupidæ, an Sacerdos, externo corporis habitu tantopere differens, ex eodem, quo ipſæ, genere ſit prognatus. Demum neophytis ita permiſcentur, ut ſingulis familiis ſingulæ concredantur, partim ne privata conventicula, & fugæ conſilia agitare inter ſe facile poſſint; partim ut rudimen-

mentis religionis, morumque præceptis, & ſermone in uſu poſito ſenſim imbuantur.

Atque hæc eſt ratio barbaros e ſilvarum latebris eliciendi, & ad humanitatem, ac religionem traducendi, quam nemo ſane poteſt non magnopere probare, qui animo reputaverit etiam liberos a parentibus munuſculis, ſubditos a Principe propoſitis dignitatibus, honorumque titulis ad præſtandum officium excitari. Illicia hujusmodi, & incitamenta apud barbaros tanto quidem magis certe ſunt neceſſaria, quod populus e ſilvis, nativa ſcilicet ſua patria, abducendus ſit; exuendus ampliſſima illa quidvis agendi libertate, ac licentia, ſpoliandus uxorum multitudine, ſubjiciendus peregrino dominatori, verbo, natura ipſa veluti commutata, e pecude homo efformandus.

CAPUT VI.

De Mamelucorum Infeſtationibus.

Poſteaquam induſtrias, quibus barbaræ nationes colligi, & ad vitæ civilis communionem adduci ſolent, paucis enarravimus, res ipſa monet, ut de impedimentis etiam, quæ Mameluci, Chriſtiani ſcilicet nominis opprobria, ſalutaribus hiſce conatibus offerunt, breviter adtingamus. De genere hominum iſtorum perditiſſimo plerique omnes ſcripſerunt, qui hiſtoriam coloniarum in America meridionali conſtabilitarum literis tradiderunt: quare nos hic ea duntaxat perſtringemus, quæ Autor partim ab illis ipſis interdum vera, ſæpius ficta pœnitentia in ſedes Moxitarum ſe ſe inſinuantibus certo comperit; partim ab Antonio Roullin de Moura oppidi Mattogroſſo Gubernatore audivit, qui multum cum hac Americæ peſte negotii habuit, &

la-

latrocinia, ubicunque potuit, viriliter repreſſit.

Mameluci, alias *Pauliſtæ*, ab urbe S. Pauli juris Luſitanici adpellati, e connubiis cum Indis, ac Æthiopibus promiſcue initis progeniti, in varias tribus, *caſtas* vocant, diviſi, perque omnem late Braſiliam ſparſi tumultibus, ac ſeditionibus tantopere ſemper erant dediti, ut Reges ipſos, qui audaciam ope militum coercere adtentabant, ad pacem ſecum componendam armis non ſemel compulerint: inter ſe autem ipſos tantis ſcindebantur odiis, ut iis ſedandis ſpes nulla hodiedum ſuppetat: vix ulla certe præterit dies absque cædibus: non vir modo virum invadit, ſed in aciem familiæ integræ contra ſe mutuo educuntur.

Complures eorum, ut Præfectorum vigilantiam, aut juſtam vindictam effugerent, ad fines Braſiliæ ſe ſe receperunt, & ſe-

des in Luſitanorum coloniis, quæ Moxit pene confines erant, collocarunt: Matto groſſo, a Noſtri parœcia dierum quatuor decim itinere ſejunctum oppidum, erat ple rorumque receptaculum. Verum Gubernator ſceleribus hominum irritatus e nido illo ſuo omnes expulit, pœna capitis propoſita, ſiquis reverti adtentaret. Quare errones, & vagabundi circa fluvium *Guapure* ſparſim conſederunt, domos exſtruxerunt, immo agros etiam colere, ac ſementem facere inceperunt. Sed locum mutarunt, non ingenium.

Parum arridebat hominibus perditis ſolitudo: deerant ſenſim uxores, deerant nummi, quibus res ad uſum vitæ neceſſarias a Luſitanis præternavigantibus mercarentur: labor denique quotidianus, & venationis, ac piſcationis moleſtiæ diſplicebant. Tenor interea vitæ fuit plus quam barbarus: nullus apud eos judex, nulla lex, nullus

ſa-

ſacerdos , nulla religio , nullus denique deus : cumque odiis deflagrarent inteſtinis, nec ulla jungerentur neceſſitudine, cædibus omnia fœdabantur; quisque ad ripam fluminis dominabatur, ſilvamque ſuam ſic tutabatur, ut, ſiquis navicula paulo propius adpelleret, glande plumbea e veſtigio ſterneretur.

Feſſi tandem odiis, rerumque omnium penuria, nova agitare cœperunt conſilia, & expeditionem contra barbaros, in quibus colligendis, atque in colonias tribuendis Sacerdotes tunc maxime deſudabant, conjunctis animis decreverunt. Nec fefellit improbos conſilium. Cinxerunt de nocte eorum tuguria, reſiſtere auſos interemerunt, ceteros, direptis rebus, & exuſtis caſis, catenis oneratos ſecum abduxerunt, quosdam ſuis uſibus retinuerunt, reliquos in Mattogroſſo tanquam pecudes ſub haſta vendiderunt. Latrociniis hujusmodi, & cru-

delitatis exemplis, dici non poteſt, quantum propagandæ apud barbaros religioni oblatum fuerit impedimentum, quanta erga Sacerdotes excitata diffidentia.

At non ceſſit nefariis prædatio ſemper e ſententia. Natio erat barbara *Caturinorum* ceteris numeroſior, ac proinde animis, & audacia fidentior, quæ ſtrage vicinorum audita, cum ſe quoque ad ictum deſignari minime dubitaret, domicilia ſua denſis, ac præaltis palis probe communivit; puteos præterea circumcirca profundos cavavit, eorumque fauces arborum ramuſculis, & foliis ſic contexit, ut nullam foſſæ ſubter latentis præberent ſuſpicionem: ſed & ſocios ad ferendas in tempore ſuppetias invitavit. Aderant poſt dies aliquot Mameluci numero octuaginta, ſui, atque prædæ ſecuri: ſepta improviſa magna cum ferocia invadunt; ſed effuſo repente ſagittarum imbre pedem referre coguntur. E-

rum-

rumpunt interea Caturini, emicant ex adſitis ſilvis ſocii, in inſidiis collocati, inſtant fugientibus, multos graviſſime ſauciant, ſeptem & decem in puteum delapſos lanceis contrucidant.

Collectis animis non multo poſt iterum redierunt, & majore quidem numero: verum barbari in omnes eorum motus intenti excubias locis opportunis diſpoſuerunt, & confines populos de periculo tempeſtive admonuerunt, quorum adcurſu Mameluci, vellendis repagulis occupati, ſic undique circumventi erant, ut viginti ſuorum amiſſis, & plerisque ſauciatis, receptum ferro ſibi coacti fuerint aperire, atque palatim diffugere: neque genti tam bellicoſæ ullum deinceps negotium faceſſiverunt.

Et hæc quidem vi aperta gerebant; at alibi homines ſceleſtiſſimi dolis rem agebant. Audierant nationis cujusdam ad demigrandum propenſionem, & jam in pro-

pinquo eſſe, ut a Sacerdote ad coloniam deducatur. Submittunt ſuorum aliquot veſte, qua uti Jeſuitæ ſolebant, perſonatos, ceteri noctu clam ſubſequuntur. Excipiuntur Sacerdotes larvati benevole, cumque tuta eſſe videntur omnia, irrumpit cum armis turba reliqua, ac nihil doli ſubeſſe ſuſpicantes in catenas conjicit. Erant catenæ ea longitudine, ut unica viginti vincirentur, pedum uno annulis inſerto, altero ad gradiendum libero. Dolo hoc vaferrimo factum eſt, ut nationes aliæ, ad quas rei fama, & harum veſtium color, ac forma permanaverat, ne veris quidem Sacerdotibus deinceps fiderent, ſed vel cohortationes eorum conſtanter averſarentur; vel metu in remotiores ſilvarum latebras ſe abderent.

Captivos hunc in modum vinctos nullo ſenum, mulierum, puerorum, atque ægrotantium diſcrimine celeriter, pro ducto-

rum

rum libidine, progredi compulerunt. Senes, & infirmos, qui ſequi haud poterant, ſæpe impacto fuſte, vel teſticulis, quod crebrius uſurpabant, amputatis mori cogebant, aut certe fame perituros in via deſtituebant. Siqua mulier infantis ex ubere etiamnum pendentis vagitum ſiſtere non poterat, vel ſudibus una cum prole mactabatur; vel infans arbori proximæ allidebatur, aut in altum projiciebatur ramis arborum diſcerpendus. Acceſſit genus aliud crudelitatis, dum divendebantur: nam paſſim conjux a marito, liberi a parentibus, fratres a ſororibus divellebantur, & in perpetuam ſervitutem abducebantur. Sed tædet flagitiis non jam hominum, ſed portentorum ultra immorari.

LIBER QUINTUS

DE MOXITIS CHRISTIANIS SPECIATIM.

CAPUT I.

De multiplici feras venandi modo.

Populi, quorum indolem generatim hactenus deſcripſimus, partim indefeſſa curionum Europæorum opera, partim ipſa ſocietatis civilis conjunctione, multis in locis ſic erant ſenſim exculti, ut tametſi vitia quædam a natura inſita non penitus exuerint, magna quidem ex parte ſic certe detriverint, ut multis in rebus vel cum Europæis ipſis in contentionem venire poſſint, artesque complures cum religionis inſtitutione ad uſum vitæ præclare condidicerint. Or-

die-

diemur a venationibus, & armis hunc in finem excogitatis.

Arcum, cui tractando jam ab ineunte ætate adſueſcunt, conficiunt e ligno admodum elaſtico, viri mediocris longitudine, aviumque plumulis, & filis coloratis mire exornant. Cum uti eodem volunt, fixum manu ſiniſtra tenent, dextera ſagittam, & nervum prehendunt, corpore ad lævam aliquantum inflexo. Sagittæ eandem habent longitudinem, eademque ornamenta. Scapus conſtat canna leviſſima unius ulnæ, cujus extremo, chordæ adplicando, pluma utrinque adnectitur, ut curſus eidem directus concilietur. Fini alteri ſtylus ligneus ope ceræ conglutinatur, cujus apici os in figuram lanceæ conformatum infigitur, & adverſus piſces filis etiam adfirmatur, in cujus vicem Rajæ quoque ſpiculum, ut alibi diximus, vel cannæ ſegmentum duos digitos latum, ac duodecim longum, at-

que

que ad lanceæ ſimilitudinem figuratum adhibetur, venenoque contra feras perlinitur.

Intervallum, ad quod ſagittæ arcu excuſſæ ictum perferunt, eſt plerumque ſexaginta paſſuum, intra quod ſpatium animal quoque ſauciatum, utcunque rapide currat, concidit. Jaculandi dexteritatem maxime oſtendunt in feſtivitatibus ſolemnioribus, cum ſcilicet cultri de filo craſſiore pendentes victori, qui filum ſagitta rumpit, in præmium cedunt. Interdum pro ſcopo pomum citrinum adpenditur. Nec deſunt, qui excuſſa in altum ſagitta, ac deinde relabente canem in medio curſu transfigunt. Cumprimis tamen eminet dexteritas iſta in piſcibus infra aquam transverberandis, quorum ſitum e ſolo aquarum motu determinant.

Sed neque jaculandi celeritas minor eſt. Sagittas quotquot poſſunt, eadem, qua arcum, manu comprehendunt, ſibique tanta

cum

cum velocitate ſurrogant, ut viginti intra temporis minutum excutiant. Invenias, qui tigridem in depaſcenda præda occupatam adgrediatur, tamque crebris ictibus fatiget, ut fera ſagittis, ut ſolet, e corpore evellendis, aut frangendis haud ſufficiat, ſed erepta ſe ſe vindicandi facultate hoc velut telorum imbre obruta intereat. Impetum inde æſtimes, quod ſagitta corpore, aut tabulato navigii transverberato, ſæpe in averſa erumpat parte. Tempore belli ad terrorem hoſti incutiendum quidam iisdem cocos nucis magnitudine adligant, qui dum ante perforati per aerem celerrime feruntur, ſibilum edunt terrificum.

Aliud venandi, immo etiam pugnandi, inſtrumentum *Stolicam* Hiſpani vocant, prælongam ſcilicet quamdam ſagittam ſtructuræ ſolidioris, quam non arcu, ſed manu ope capſulæ cujusdam ejaculantur tanto impetu, ut hominem ad centum paſſus transfodiat.

fodiat. Exhibet Fig. 4. barbarum Tiboitam hoc armorum genere inſtructum, cujus apud Moxitas uſus hodie una cum bellis antiquatus eſt (*a*). Sunt, qui funda etiam dexterrime utantur, cui, cum lapidibus regio deſtituatur, globulos ex argilla paratos, ſpinisque veneno imbutis exaſperatos, inſerunt.

Lanceæ, ſeu venabuli uſus ab Hiſpanis inductus hodie rarior eſt, nec facile, niſi contra tigrides, adhibendus, quam bini minimum venabulis armati ſolent adoriri, ut, ſi unus aberret, alter ſit in ſuppetiis. Modus belluam excipiendi fere idem eſt, quem apud nos contra apros adhibent. Noſter periculoſo hoc venandi genere ſuis penitus interdixit.

Ad

(*a*) Genus hoc jaculi veteribus uſitatum Scriptores Latini tragulam, fuſtibalum, verutum, & viricam vocabant.

Ad rectam ſclopetorum tractationem plurimum conducit acutiſſima illa oculorum acies, qua tigridem ipſam multi ſuperant. Hiſpani certe, quoddam Luſitanorum caſtellum oppugnantes, faſſi ſunt, milites, qui Indorum globis perimebantur, pleroſque media in fronte fuiſſe ictos. At hoc telorum genus minus eſt regioni aptum, quod pulvis nitratus, e longinquo alioquin petendus, pretioque exaggerato redimendus, humore perpetuo vitietur. Verum ipſas jam venandi rationes perſequamur.

Primum, idque ſpectatu jucundiſſimum, venandi genus ſuppeditant ſtatæ aquarum exundationes, quibus, plana omnia obtinentibus, feræ omnes in inſulas, ſilvas ſcilicet eminentiores, compelluntur. Parantur tunc paulo majora actuaria, partim remis, partim contis celerrime impellenda, (vide Fig. 5.) quibus die condicta, cum magno canum, & armorum in ſuperioribus

commemoratorum adparatu diluculo egrediuntur, aliis tympana, aliis cornua ſecum deferentibus. Cum ad inſulam ejusmodi ventum eſt, nonnulli in aliquo ejusdem promontorio exponuntur, & loca ſortiuntur ita, ut totam, quantum fieri poteſt, inſulæ latitudinem amplectantur: ceteri celocibus eandem cingunt æquis intervallis, & ſummo cum ſilentio; gramen, quod aquis elatius eſt, impedit, ne obſervari a cervis, natatu valentibus, ante tempus poſſint.

Qui expoſiti erant, ſilvam cum maximo cornuum, ac tympanorum clangore invadunt, & canes, recentia ferarum veſtigia odore perſequentes, momento diſperguntur. Cervi conterriti natatione conantur evadere; ſed a naviculariis excepti aut fuſtibus perimuntur, aut injectis funibus capiuntur. Interdum Indus e cimba in tergum natantis inſilit, & luctando in aqua jam ambo demerguntur, jam iterum proni vel

ſupini

ſupini emergunt, dum denique cervus vel aquis præfocetur, vel cultro hunc in uſum parato interimatur.

Intra ſilvam interea res ſagittis, fuſdibusque agitur, Indis clamore omnia complentibus, & mutuas ſuppetias implorantibus. Fit ſtrages maxima, revehuntur cervi non raro quadraginta, porci ultra ducentos, præter damulas, ſtruthiones, urſos myrmecophagas, tigrides, antas, aliaque minorum ferarum genera, quæ majoribus illis navigiis, non ſine tripudio, & concentu muſico, ad vicum deportantur, ſoli canes fœde lacerati, ac humeris ad naves plerumque deferendi gemunt.

Contra aves fere utuntur cannis (Blaſsrohr) quæ, ſi rectæ non ſint, ad ignem etiamnum recentes calefiunt, &, quo libuerit, flectuntur; has onerant ſpiculo duarum circiter ſpithamarum e vena folii palmæ exſecto, cujus apicem veneno

imbuunt, baſim autem ſilveſtri goſſipio circumvolvunt, ut ſpiritu repente inhalato impetum concipiant. His anates cumprimis, quas regales adpellari diximus, inſectantur. Solent hæ de nocte quieſcere in proceris arboribus, quas etiam interdiu propter ſolis ardorem circa horam nonam repetunt, & illic uſque ad tertiam in umbra deliteſcunt. Indus, receptaculis hiſce detectis, tugurium in propinquo e ramis ſtruit, eodemque, dum anates illi uſu adſueſcant, per dies aliquot abſtinet: deinde horis, quibus eædem in campis oberrant, introit, ac revertentes ſagittis e canna ſua configit, & intra horam ſæpe centum dejicit. Siqua una cum ſagitta avolet, locum, ubi decidit, oculis tam accurate determinat, ut ne unicam quidem ex omni illa præda deperdat.

At magis oblectat artificium, quo easdem prehendere in lacunis ſolent. Cu-

cur-

curbitas prægrandes hic & illic perforatas, anatibus in arbore adhuc quieſcentibus, aquæ injiciunt, quarum conſpectu reduces primum quidem terrentur, verum iisdem ſenſim deinde adſueſcunt; quod cum venator animadvertit, abſentibus avibus, lacum ingreſſus caput cucurbitæ uni inſerit, ſeque in aquam collo tenus immergit, ac revertente anatum turba lento paſſu, ut fluitare cucurbita videatur, procedit, & proximas quasque pede corripit, inque aquam detractis gulam elidit. Nihil inde doli ſuſpicantur ceteræ, cum genus hoc ſe ſe in aquam ſponte ſæpe demergat (*a*).

Cervos, & damulas in campis apertis, ubi ſtruendis inſidiis locus nullus ſuppetit, hunc in modum fallunt. Ut primum

 cervum

(*a*) Eadem hac fraude uſi fuere veteres Mexicani, Clavig. Lib. cit. T. II. pag. 161. Idem a Sinenſibus adhiberi artificium autor eſt Du Halde T. II. pag. 164.

cervum de longe vident, ſtationem ita capiunt, ut ventus de loco, ubi fera eſt, verſus ipſos adſpiret. Deinde obſervant, dum animal capite demiſſo paſcitur, & tunc eidem adpropinquant: cum autem cervicem rurſus adtollit, ſtatuarum inſtar immobiles conſiſtunt, dum iterum herbam carpere incipiat. Repetito hoc venatoris acceſſu cervus non modo non terretur, ſed ultro ipſe accedit, & tunc vultus pileo occulendus, aut caput inflectendum, ictusque deſignandus eſt. Animal hoc tam eſt periculi immemor, ut uno proſtrato, cetera non diffugiant, immo interdum circa ipſa occiſorum corpora accubent. Alias, ut magis fallat, induſium album venator induit, pileum nigrum in roſtri cujusdam formam componit, & avem *Coromo*, quam alibi deſcripſimus, ſcite effingens verſus cervum incurvato corpore, & brachiis alarum in morem agitatis, accedit, & nec opinantem ſternit.

Da-

Damulæ campeſtres, ſimiarum inſtar omnia videndi, atque explorandi cupidæ, inſidiis facilius patent. Indus vento, ut antea dictum eſt, captato, facie nonnihil obvelata, & veſtitu, pileo cumprimis, aliquantum commutato, tamdiu procedit, dum ſe a damulis jam conſpici animadvertat, ac tunc in terram, ne cerni porro poſſit, ſe ſe abjicit, & jam manum, jam pedem ex herba arrigit, rurſusque, ut videndi aviditatem exacuat, recondit. Poſtquam prædam ad diſtantiam paucorum paſſuum hoc modo allexit, ſagittis venenatis e canna excuſſis figit, quarum vim cum damulæ principio vix ſentiant, non diffugiunt: immo ne tunc quidem, dum ſclopeto petuntur, multum terrentur, niſi ſe venator prodat, reverſuræ iterum, ſi eodem artificio denuo pelliciantur.

Sed cum inter alia venandi inſtrumenta equus etiam, & funis ſit, neceſſe eſt,

ut de his quoque breviter commemoremus. Moxitæ tractandis, regendisque equis adſveſcunt nullo fere negotio. Nihil intereſt, ſitne equus ſella, vel freno inſtructus; ſufficit funis quispiam ori circumvolutus. Cum equi feroces intra ſeptum aliquod compelluntur, ſepimenta penes oſtium conſcendunt, ac certum ex omni numero quisque ſibi deſignant, cumque foribus apertis grex celeritate maxima erumpit, in ſuum unusquisque ex alto inſilit, neque ullis ferocientis jactationibus excutitur, dum feſſum denique, ac ſudore fumantem injecto fune ad obſequium habeat. Si equus, uti ſæpe fit, in terram ſe præcipitet, ſeſſor quidem deſilit, ſed ſtimulis ad conſurgendum adacto ſe iterum injicit. Pernicitate horum equorum cervos, damas, ſtruthiones, vaccas, & antas delaſſant, quin perdices ipſas defatigant, & vel manu, vel canum opera comprehendunt.

Præ-

Præcipuum tamen adminiculum, quo taurum ferocem, equum, tigridem, & quasvis alias majores feras, equis in hujusmodi venationem ante jam inſtructis, capiunt, reſtis eſt, quem e vaccarum, aut equorum corio parant, loris aliquot ita contortis, ſibique mutuo inſertis, ut craſſitudinem digiti ſæpe non excedat: ſebo deinde crebrius imbutum ſoli exponunt, penitusque reddunt flexibilem. Longitudini ulnas fere quatuordecim tribuunt. Finis ejusdem unus formam laquei habet; alteri nodus e corio cum fibula nectitur, cujus ope loramento per ventrem equi circumducto, & fortiter adſtricto ita copulatur, ut a ſeſſore fibula nodo celerrime inſeri, vel eximi poſſit pro arbitrio.

Si jam animal quodpiam capiendum ſit, funem a tergo ſellæ deligatum ſolvunt, ac extremum unum loro per corpus equi circumducto ope fibulæ, quemadmodum diximus,

mus, adnectunt, alterum laqueo inſtructum dextera, reliquum funem in ſpiras aliquot collectum ſiniſtra manu una cum habenis tenent. Equus rite in hos uſus inſtitutus, quamprimum ſolvi reſtem advertit, procurrit impetu rapidiſſimo, ſeſſor autem, poſtquam prædam octo, aut decem ulnarum intervallo a dextris habet, laqueum in cornua, vel in collum injicit, ſpiraſque ſolvit, quibus evolutis equus lenteſcit, & animal captum ea firmitate tenet, ut cogatur denique corruere: at eques tunc deſilit, pedibusque captivi colligatis, rurſus aliud perſequitur. Tigrides, equo ſuapte lentiores, æſtu, ac pinguedinis pondere in aperto campo cito delaſſantur, & more felium ceterarum conſident. Poſtquam his laqueus injectus fuit, equus incitatur, ut reſtis, pedibus fortaſſe correptus, eripiatur, ac beſtia ſuffocetur. Quodſi periculum ab ea immineret, amputato fune facile devitatur.

Ni-

Nihil fere eſt, quod Indus fune non capiat. Ramo, cui apum cellæ adpenſæ ſunt, eundem, ſi equiti aditus pateat, injicit, ramumque incitato equo ab arbore revellit, & celeritate ſpicula inſequentium eludit. Hoc eodem artificio hoſtem quoque corripit. Hanſon claſſis Anglicæ in mari pacifico Præfectus cum ad propinquum Paraquariæ littus lignationis, & aquationis cauſa ſuos cum ſcaphis expediviſſet, aderant improviſo ſuis cum funibus equites Paraquarii, & Anglos in ſcapharum fundo procumbentes laqueis injectis dexterrime ceperunt, atque ad littus pertraxerunt; ceteri, cum æſtum maris tanto cum periculo ultra operiri non auderent, ad remos confugerunt.

Unicum adhuc venandi genus adjungam. Vocabulum *Libis* unde ductum ſit, Autor una mecum ignorat. Nervi bovini probe deſiccati contunduntur in mortario, dum

abe-

abeant in minima filamenta, e quibus mulieres fila ducunt, quæ ſibi intexta funem ſuppeditant calami craſſioris magnitudine, aut paulo craſſiorem, ſeboque crebrius imbuendum, ſi pro majoribus paretur animalibus. Longitudo ultra duas, & dimidiam ulnas non pertinet: extremo utrique adnectitur globus plumbeus ſex, aut ſummum octo unciarum, medio ope lori tenaciſſimi, ac ſeſquiulnam longi conjungitur manubrium ex eodem metallo. Atque ita perfectum eſt inſtrumentum, quod manu prehenſum eques circumagit primum in aere, poſtea vel in tergum minorum, vel intra pedes majorum animalium conjicit. Globis concepto jam impetu circumactis pedes implicantur, prædamque ſiſtunt; quin ſæpe caput, aut pedes impacto plumbo franguntur. Si evaſit fera, ne intra herbas arma Indus deperdat, pileo, aut ſtrophio dejecto locum ſignat, atque prædam elapſam perſequitur.

CA-

CAPUT II.

De Piſcationibus.

Prima piſcandi ratio ſicuti facilis, ita nullius plane eſt artificii. Cum aquis refluentibus piſces in ſicco deſtituuntur, Indi, clangore avium admoniti, eosdem e luto acervatim colligunt. Alias, cum annis quibusdam fluvii ipſi adeo deficiant, ut multis locis arena proſtet, piſces horis matutinis capita, recentioris aeris cauſa, turmatim arrigunt, ac proinde fuſtibus, vel tridente ſterni nullo pene negotio poſſunt. Prope vicum, quem Noſter adminiſtravit, fluviolus erat, cujus oſtium herbis, & arena præcludebatur. Creſcebant in vicinis campis plantæ quædam, quarum putredine aquæ jam deficientes colore rubro nonnihil tingebantur, & inficiebantur, ita ut piſces maxima copia in fluviolum illum compellerentur, quorum minimi ſuperficiem,

medii

medii tractum paulo profundiorem, maximi infimum obtinebant. Scatebant his omnia, cumque aquæ ſenſim magis inficerentur, ad ripam ipſam tanta copia exſiliebant, ut mulis, ac humeris in vicum deferri menſe, quo res durabat, toto vix potuerint: reliqui, increſcente mali vi, demum perierunt.

Genus quoddam eſt piſcium, halecum inſtar gregatim temporibus ſtatis oberrans, quorum complures vel unica ſagitta oculis etiam clauſis transfigas. Hos Indi ſequuntur naviculis, varioque armorum genere conficiunt. Piſces hi hoſtem interdum aliquem fugientes tanto in hæcce navigiola inſiliunt numero, ut cogantur remiges ſe proſternere, atque ad ripam celerrime recipere, ne illorum pondere mergantur. Quidam hamis quoque utuntur, ſed arma Indorum ſicuti contra feras, ita etiam adverſus piſces maxime uſitata ſagittæ ſunt.

Qui-

Quidam lacus, in fluvios ſe ſe exonerantes, repagulis intercipiunt, & oſtiis aliquot relictis corbes prætendunt.

Rete Moxitis ante Autoris adventum res erat incognita, qui primus illud poſt varia tentamina feliciter contexuit, ac ejusdem ſubſidio genera nunquam antea viſa eduxit. Id tamen habet incommodi, quod fluvii redundent arboribus deciduis, quæ tuta piſcibus præbent receptacula. Sed & modus ducendorum retium eſt operoſior: nam ſi more apud nos recepto ducerentur, piſces incluſi eadem tranſilirent. Debet proinde margo eorum ſuperior extra aquam ſat alte eminere, inferior autem leniter fundum radere. In lacubus profundioribus, ubi retis uſus eſſe non poteſt, alia eſt piſcandi adinventa ratio. *Coropi*, ut jam diximus, eſt viminum per arbores inſtar hederæ ſerpentium genus, humani nonnunquam femoris craſſitudine. Piſcatorum

torum quilibet binos ejusdem faſces in lacum ejusmodi adfert, ac intra aquam piſtillis in filamenta tenuiſſima contundit, quorum ſuccus piſces omnes poſt horæ ſpatium quodammodo inebriat, qui proinde in ſummam aquam emicant, ripasque certatim petunt, ubi opera leviſſima comprehenduntur.

At cum videret Autor a multis intra lutum ſe ſe recondentibus uno, alterove die vim filamentorum eludi, detexit aliud longe efficacius viminis genus, ac juveni cuipiam oſtendit, qui repoſuit, non eſſe vim ejusdem contribulibus ſuis ignotam, ſed hoc genere uti idcirco nolle, quod talis piſcatio nulli, niſi jejuno, cedat e ſententia. Quare ut ſuperſtitionem ex animis evelleret, lacum propter magnitudinem, & profunditatem hactenus intentatum huic piſcandi generi deſignavit, ac pridie carnes, venatione comparatas, aſſari juſſit.

juſſit. Ad locum ubi ventum eſt, prolatis cibariis, & largo potu, omnes ad epulandum primum, deinde vero ad opus inchoandum compulit. Res non ſine communi univerſorum admiratione ſic e voto ceſſit, ut per dies quinque piſces in ripa continenter aſſatos una cum liberis, & uxoribus domum reportaverint (*a*).

Ubi lacunæ ulva, aliisque herbis paluſtribus ita increverunt, ut perrumpi navicu-

(*a*) Barrere in Nouvelle Deſcription de la Guyana narrat barbaros ad piſces velut inebriandos uti illo viminis genere, quod ipſe Bignoniam ſcandentem, ſpicatam, purpuream vocat, & quæ veriſimiliter eſt *Bignonia paniculata* Linn. & cum in America meridionali calidiore habitet, videtur ipſiſſima eſſe, de qua hic Autor loquitur. Alii hunc in finem utuntur planta, quam Hiſpani *Barbaſco* vocant, & quam Schneider, in Adnot. ad Notitias Americanas Ulloæ putat eſſe *Jacquiniam armillarem*. Surinamenſes adhibent herbam, quæ apud Fermin adpellatur *Aſtragalus* incanus, fruteſcens, floribus purpureis. Beſchr. der Kolonie Surinam Tom. I. pag. 55.

viculis nequeant, ex iis evulſis aggerem quemdam præaltum, quem tranſilire piſces non poſſint, conſtruunt, & per totam latitudinem intra duas ripas pertendunt; deinde humeris contra ripam adverſam lente propellunt, piſcesque intercluſos in terram extrudunt.

Sed ratio piſcandi longe jucundiſſima eſt facibus, quas e ligno denſiſſimo, ignique fovendo aptiſſimo exſcindunt, atque incenſas proræ, ubi unus quidam tridente armatus conſidet, imponunt, naviculam interea ſtrepitu quam minimo lente propellunt. Loca huic operi aptiora ſunt prope ripas, vel ubi aqua humilior eſt; piſces enim, in fundo tranquille quieſcentes, produntur a remiſſis lucis radiis, atque tridente plurimi confodiuntur.

Solent præterea navim prælongam deligere, aut proram unius puppi alterius nectere, ac in uno latere perticas complu-

res

res erigere, quibus boum adpendunt coria, & quemdam veluti parietem efformant. Cum hoc adparatu, magno cum ſilentio, flumine ſecundo lente defluunt ad loca, in quibus piſcium multitudinem diverſari norunt, quo cum adpulerunt, tuditibus aquam vehementer ferire, fundumque navigii pedibus ſupplodere incipiunt. Piſces, prope ripam quieſcentes, genus quoddam rapax adeſſe rati ſaltum verſus loca profundiora certatim faciunt, inque coria illa impacti ad navim imbris cujusdam inſtar tanto ſæpe numero recidunt, ut coria neceſſe ſit celerrime demere, ne pondere depreſſi naufragium patiantur.

CAPUT III.

De dexteritate in arteſactis.

Quod intellectui, ſublimioribusque animæ facultatibus natura genti ſubtraxit, ab-

unde ſane penſavit in ſenſibus, phantaſia, & quidvis imitandi dexteritate. Cum enim mens horum hominum paucarum admodum occupetur rerum notionibus, eas alte ſibi imprimit, ac ſemper in promtu habet. Indus certe, annos etiam centum ætatis ſupergreſſus, tenet perfecte omnia cum adjunctis quibusvis minimis, quæcunque eidem toto vitæ decurſu acciderunt, ut adeo omnem rerum ſuarum hiſtoriam memoriæ quodammodo inſculptam habere videatur. Senſibus, cumprimis autem oculorum acie, ſic pollet, ut iter per ſilvam noctu faciens tantum fere videat, quantum de die Europæus. Atque hinc ſine dubio exiſtit mirabilis illa facilitas artefacta quævis oculis propoſita imitandi.

Inter eorum artificia primum ea locum occupant, quibus exuviæ avium materiam ſuppeditant. Plumulas nimirum, quæ in earundem pectore, ac ſub alis mira co-

lorum

lorum varietate, & vivacitate ſe ſe diſtinguunt, evellunt, & ſibi eleganter permixtas telæ tam dextre adſuunt, ut eas e tela ipſa prognatas crederes. Ex his formant ſimulacra quadrupedum, avium, hominum jacula vibrantium, aut piſcationi operam navantium, & has tabellas ſcutulorum inſtar manu inter ſaltandum agitant. Immo curionum ſuorum ductu etiam icones ſacras, & altarium ornamenta e plumulis illis ſic effingunt, ut, niſi errorem tactione corrigas, vivis omnia coloribus depicta eſſe juraturus ſis (*a*).

(*a*) Ars e plumulis avium dextre inter ſe compoſitis icones fingendi apud veteres Mexicanos ad perfectionem fuit adducta: apud modernos vero fere ex toto intercidit. Quo magis mirandum eandem inter Moxitas hodie reperiri, quæ ne in Regno quidem Peruano, cum eſſet florentiſſimum, videtur viguiſſe. Vid. Hiſtoire naturelle, & morale des Indes par le P. Acoſta L. 4. cap. 37. Item Storia antica del Meſſico par l'Ab. D. Franc. Saverio Clavigero Tom. II. pag. 197.

Quod ad ſculpturam adtinet, quidquid a perito artifice hoc in genere effici vident, perfecte imitabuntur: verum inſtrumenta, quibus Europæi in ſcalpendo uti ſolent, illis nulli adjumento, immo potius ſunt impedimento; res enim tota cultellis peragitur. Vidit Noſter binas Chriſti ad columnam deligati, flagellisque cæſi ſtatuas, quarum altera Neapoli, altera a Moxita quodam fuit elaborata: tam vero erant ſibi ſimiles, ut diſcerni omnino haud poſſent. Oblatum fuit eidem cochlear, a quodam ſuorum affabre elaboratum, cujus in ſcalpendo habilitatem ut amplius experiretur, propoſuit illi Chriſti ad crucem adfixi ſimulacrum, quod ille, tametſi hoc in genere nihil antea tentaverit, ſic ad amuſſim expreſſit, ut perfectioni nihil deeſſet, nec opus Europæi ipſi ſatis demirari poſſent.

Nec

Nec minor eſt in iis dexteritas, qui e ferri, & chalybis tractationi addixerunt. Viderant hi apud Hiſpanos varia ſclopetorum in Anglia, & Hollandia paratorum genera, ac præmiis propoſitis allecti, eadem feliciter elaborarunt. Cum Hiſpanus rei tormentariæ Præfectus vicos Moxitarum pervagatus campanarum, ab ipſis fuſarum, ſonitus audiviſſet, venit in cogitationem pertentandi, an non machinæ quoque bellicæ fundi cum ſucceſſu ab iisdem poſſent. Res tentata exſpectationem ſuperavit: tormenta enim exibant longe perfectiora, quæ ille, relictis veteribus, ad demoliendum Luſitanorum præſidium ſecum avexit. Nec minus feliciter tractant rem pictoriam, modo Europæus quispiam artis peritus pingendi rationem exemplo ſuo commonſtret.

Plurimi peculiarem in arte texendi habilitatem egregie probaverunt: nam quid-

quid ligularum, periſtromatum, aliorumve idmodi textilium in uſus templorum ex Europa ſubmittebatur, præclare ſunt imitati. Petebant ſcilicet ſegmentum ex iis aliquod ſibi dari, illud filis dexterrime ſegregatis penitus diſſuebant, ut contextum omnem, variasque filorum conjugationes perviderent. Lanas deinde eorundem colorum poſtulabant, atque filamenta ſuper binis lignellis in crucis formam compoſitis tendebant, & ſimpliciſſimo hoc textrinæ adparatu rem omnem perficiebant. Pari ſucceſſu imitabantur telas acu phrygia pictas, & quævis opera vermiculata, de ſolis coloribus erant itentidem admonendi, ne ſcilicet genera omnia nimium permiſceant, cum genti id maxime ſit in pretio, quod more tigridis eſt undequaque varium, & verſicolor. Quam vero in filis ſubtiliter ducendis ſint verſati homines, qui nuper nudi oberrabant, vel inde æſtimes,

quod

quod primi ſubſellii matronæ Viennæ, & alibi faſſæ ſint, nuſpiam in Europa ad eam perfectionem nendi artem perveniſſe.

Operæ autem pretium eſt ipſum etiam fila ducendi modum, a noſtro plane diverſum, cognoſcere. Mulieres ſe ſe ad nendum adcingentes in terra conſident, ſcapum fuſi ſupra rotulam eminentem inter duos ſiniſtri pedis primores digitos inſerunt, extremo altero ſcapi ſuper dextri pedis ſura quieſcente: goſſipium rite jam ante diſpoſitum manu ſiniſtra tenent, palmo vero dexteræ fuſi rotulam ab imo ſurſum verſus propellunt, ac ſtamina e goſſipio ſiniſtra in altum ſublata tanta ducunt celeritate, ut noſtrates longiſſimo ſuperent intervallo. Fuſum vero loco nunquam dimovent, ſeu ducendum ſit filum, ſeu ſcapo ejusdem circumvolvendum.

Sed artis muſicæ peritia ipſam pene admirationem apud gentem haud ita pri-

dem cicuratam ſuperat. Nullum fuit genus inſtrumentorum ex Europa adlatorum, quod non ad ſtuporem ipſorum etiam Præfectorum militarium pulſarent, vel inflarent. Organa muſica omnia, quæ quidem confieri e ligno ſolent, ſive deinde chordis inſtruenda, ſive flatu oris incitanda eſſent, ipſimet fabricabant, quibus genus omne ſymphoniæ, a celeberrimis noſtris magiſtris compoſitæ, miro cum concentu, atque ſuavitate exequebantur. In duobus tamen artis iſtius capitibus plurimum deficiunt: imprimis enim ex omni natione unum non invenies, cui natura vocem baſſo, ut vocant, canendo idoneam adtribuerit: deinde artem in re muſica quidpiam componendi edoceri hactenus non poterant, quod quidem ex arctis, quibus eorum ingenium circumſcriptum eſt, limitibus videtur proficiſci, quemadmodum & illud, quod tametſi artificium aliquod vita tota exerceant,

illud

illud tamen uſu ipſo non perficiant, ſed ultimum artis opus primo ſimillimum ſit, nec majori perfectum celeritate.

Pectines, dentium ſubtilitate nihil a noſtris differentes, conficiunt e piſcium dentibus. Pro radenda, & comminuenda Mandioca tabulam e ligno parant, quam ſpinarum aculeis, vel acutis lignellis exaſperant, & ſuam illam radicem eadem, qua nos rapas, aut caulium capita, facilitate conſcindunt. Storeas perquam elegantes contexunt e genere quodam arundinum tenuiſſimarum, quas coloribus ante imbutas, cum pulcherrima florum varietate mutuo ſibi implicant. Ex iisdem, aut palmarum foliis conficiunt corbes, pileos, ciſtulas colorum illecebris oculos rapientes, quas Hiſpani maxima cum aviditate conſectantur.

CAPUT IV.

De cibis, & potibus.

Cibos adparandi ratio apud nationem tam eſt ſpurca, & ſordida, ut eadem iſthic enucleatius proponenda, ne ſtomachus legenti moveatur, ſuperſedeam: genera duntaxat ciborum quædam commemorabo, quæ ipſa lectori faſtidium procul dubio ſunt allatura. Ova gallinarum, ſtruthionum, & crocodilorum tamdiu, dum indureſcant, excoquunt, ac ne fœtentibus quidem illis parcunt, quæ ceteris excluſis in nido remanſerunt, & ſæpe formatum jam pulli rudimentum continent: immo hæc præ aliis habent in deliciis. Caudam crocodili, ſicut eſt, in ignem injiciunt, & ſquamas, ac pellem in carbones redactam lignellis inter edendum detergunt.

Lumbricos menſibus Majo, & Junio mulieres in campis colligunt, ac uno digitorum

torum ductu eliſos funi ante ædes ſole deſiccandos adpendunt: coquunt deinde in aqua, dum in maſſam quamdam nigram ſpiſſentur, atque ita menſæ tanquam offam perquam delicatam inferunt. Simiam una cum pilis in ignem conjiciunt, fœdo ſane Europæis ſpectaculo, dum cute circa os caloris fervore contracta dentes eminent. Capite potiſſimum, & cerebro delectantur. Anates carbonibus una cum plumis obruunt, quibus exuſtis in verubus ligneis prope ignem aſſandas inſigunt. Sin autem elixandæ ſint, ambuſtulatas cacabo una cum inteſtinis, & pennarum radicibus indunt, ac inter edendum ne grana quidem tritici Turcici, quæ forte in ſtomacho adhuc integra deprehenduntur, abjiciunt, ſed tanquam bolos exquiſitiores abſumunt, quemadmodum facere apud nos ſolent, qui grana in ſtomacho juniperarum avium deprehenſa comedunt.

Eſt

Eſt quoddam formicarum genus, quarum venter corpori non niſi ope tenuiſſimi cujusdam ligaminis cohæret: ventriculos hos a formicis avulſos corbibus integris colligunt, & in aqua coctos inſpiſſant, interdum ſaporis cauſa lumbricos addunt, ac in præcipuis cupediis reputant. Quidam veſpertiliones integros elixant, qui calore efferventis aquæ dirupti odore fœdiſſimo cibum inficiunt. Piſces, quemadmodum capti fuerunt, aſſant, dum fere in carbones abeant. Cum minores edunt, ſquamas, & ſpinas in oris latus lingua congerunt, & finitis epulis uſibus futuris adſervandas in patellam egerunt. Vaccarum inteſtina baculo leviter excutiunt, aut certe non ſatis eluunt, unde color in jure ſubviridis, & odor graviſſimus.

Si quando iter faciendum ſit, carnem bubulam in laminam quamdam adtenuant, & equi tergo ſolis ardore ſiccandam adligant.

gant. Cum ad ſtationem ventum eſt, foco ardenti una cum ſudore, ac pilis ex equo adhærentibus injiciunt, ſeque lautiſſime cœnatos exiſtimant. Alii boum, aut vaccarum ſebum ſolicite congregant, atque epulaturi parti ejusdem in cacabo liquatæ fruſta carnis frigenda indunt, quæ ſebo omni jam in ſe recepto, tametſi etiamnum ſemicruda, ori ingerunt, atque dentibus tamdiu comprimunt, & linguæ adminiculo depſunt, dum ſebum omne exprimant, & penitus exſugant. Fruſta hunc in modum tractata rurſus in cacabum exſpuunt, novoque addito ſebo operationem eandem bis, terve repetunt, ac ipſas tandem carnes hoc modo frixas devorant.

Cum vero ad carnes, præcipue autem ad piſces maxima ſit in gente aviditas, nec ſemper venationi, aut piſcationi, propter aquas omnia inundantes, locus eſſe poſſit, oſſium, ſpinarum, & ſquamarum reliquias ſuis in prandiis diligenter colligunt, ſole ex-

exſiccatas ad ignem torrefaciunt, in pulverem redigunt, & pani ſuo vulgari, ſeu farinæ Turcici tritici admiſcent, ut adpetitum ſaltem odore, vel ſapore aliquo carnium conſolentur.

Atque his abſolvuntur præcipua nationis nutrimenta, quibus fructus præterea in ſupplementum veniunt. Menſa epulantium terra eſt, multum a famelicis anatibus, gallinis, & canibus infeſtata. Ponitur in medio circum accumbentibus catinus, unde digitis, quod cuilibet arridet, eripit. Caro aſſata floreæ, ciborum illuvie jam plerumque inquinatæ, imponitur. Fuſcinæ officium digiti, cultri vicem dentes obeunt. Jus e catino ipſo hauritur. Sal cum peti e longinquo debeat, hunc in modum ſuppletur. Folia plantæ cujusdam deſiccata comburunt, ac eorundem cineres pipere Turcico permiſtos pro condimento adhibent.

Ve-

Veniamus nunc ad potum gentis *Cſiceſa*, ſeu, ut ipſi vocant, *Eronético*, ſæpius jam ſupra commemoratum: tametſi enim variis e frugibus, & arborum fructibus potiones norint parare fortiſſimas, tamen hac ſua, quam dixi, maxime delectantur, cujus præparandæ modum hoc loco exequemur. Grana tritici Turcici nonnihil torrefacta commoluntur, & aqua frigida in maſſam ſubiguntur, quæ in minores diviſa portiones igne ſuper teſtis pinſuntur, ſed qui vix extimam cruſtam excoquat. Congregantur deinde mulieres, interdum centum, varios in circulos tribuendæ, in quorum centris cacabi collocantur. Mulieribus ſingulis portiones illæ toſtæ diſtribuuntur, quæ illas manſitant, & tamdiu maſticant, dum linguæ, ac dentium judicio penitus comminutæ ſint; tunc autem in cacabum exſpuunt, aut, ſiquæ velint eſſe urbaniores, digitis exemtas eodem injiciunt.

Opus in noctem interdum producitur, quo peracto maſſæ aqua ſuperfunditur, & ignis cacabis ſupponitur, horis quatuor & viginti alendus: excubant interea mulieres aliquot, maſſamque ſubſidentem ſpatulis identidem commovent, & farinam per vices adindunt. Poſtea cacabi in lintres paratos deplentur, e quibus liquor nonnihil defrigeſcens in prægrandes amphoras figlinas transfunditur, ubi intra noctem ſic effervet, ut vaſa, niſi ſpiraculum habeant, dirumpat. Die poſtero ſupernatat oleum flaviſſimum, certum potionis ad perfectionem deductæ indicium. (*a*)

Qui-

(*a*) Potio hæc indolem cereviſiæ genuinæ habet, neque eſt dubium ſalivam mulierum, maſſam illam dentibus commolentium, in vicem fermenti addi, cum conſtet liquores e plantis preſſione, vel coctione extractos non alia re citius in fermentum agi, quam addita quapiam animali materia, quæ tamen ſaporem liquoris non vitiet. Modus hic adparandæ Cſicſæ apud plures Americæ meridionalis populos in uſu eſt politus.

Quidam ad triticum Turcicum Mandiocam quoque ſilveſtrem adhibent, ſed quæ, niſi prope eluta fuerit, liquorem bibentibus propter venenatum ſuccum reddit periculoſum: qui vero potum hunc e ſola Mandioca parare tentaverunt, morte temeritatem luerunt. Verum ad Cſicſam vulgarem redeamus. Indi, experimentum bonitatis capturi, condicto tempore conveniunt, &, ſi ad palatum eſſe deprehendunt, mulierem, quæ operi faciundo præfuit, præconiis inter compotandum ad aſtra tollunt; ſin minus, conviciis onerant, amphoras nihilominus omnes fideliter exſiccant. Præmium ejusmodi præfectæ eſt una amphora, utcunque deinde labor ceſſerit. Hoſpitibus helluantibus potus in parvis propinatur cucurbitis. In majori quapiam feſtivitate cucurbitæ adhibentur oblongæ, recurvæ, plumulis, & figuris variis exornatæ, quarum extremum unum ori bibentis

inſeritur, alteri liquor a propinatore ſenſim infunditur.

Potionis hujus efficacitas in depellendis calculis eſt teſtatiſſima: nullus certe ab annis ducentis inventus eſt Indus hoc mali genere divexatus. Duo commemorat Noſter curationum exempla, quarum non teſtis modo, ſed etiam inſtrumentum ipſemet fuit. Luſitanus quidam calculi doloribus ad extrema deductus, & in vicum Moxitarum delatus, unico hoc medicamenti genere uſus, arena omni feliciter egeſta, poſt triduum incolumis diſceſſit. Alter natione Suecus, & navis, qua Autor in Hiſpaniam revectus erat, Præfectus octiduo jam integro lenimentis, quæ medicus ingerebat, nihil proficientibus miſerum in modum excruciabatur. Noſter Cſicſam a muliere confici juſſit, ac intra triduum arenam ex ægro-

groto ſic expulit, ut miſſo lectulo ſanus in vectorum conſpectum ſe dederit. (*a*)

Guarapo, potus viribus priori ſuppar, conſit etiam e ſacchari cannarum ſucco, ope torcularis expreſſo, qui quarta aquæ parte dilutus hora dimidia coquitur, & calore dimiſſo amphoris infunditur, ac intra biduum deferveſcit. Alii e fructibus arborum liquores eodem procedendi modo adparant, palato valde arridentes, præcipue ſi ananas admiſceatur. Autoris neophyti potionem *Homoréco* conficiebant e farina tritici Turcici leniter toſti, quam adfuſa aqua horis circiter binis coquebant, &

X 3 trans

(*a*) Eandem Cſicſæ virtutem complures autores adtribuunt: Gilij nihilominus in dubium revocat, quod Maipuri, pluresque fluvium Orinocco adcolentes populi hoc poturæ genere vix unquam utantur, nec tamen calculi malo laborent. Lib. cit. Tom. II. pag. 297. Verum bina a Noſtro adlata curationum exempla adeo ſunt luculenta, ut digna videatur eſſe res, quæ a medicinæ peritis adtentius exploretur.

trans denſum cribrum manibus exprimebant, ut etiam ſubtiliores tranſirent farinæ partes, atque liquorem amphoris exceptum nonnihil addenſarent. Potus hic ſitim, & famem una ſedabat, ebrietatem non conciliabat.

CAPUT V.

De Feſtivitatibus, Choreis, & variis Ludorum generibus.

Siqua imminet feſtivitas, curam præcipuam veſtium ſibi adparatus vendicat, quas forma Germanis uſitata conſarcinatas, curio quibusdam in præmium meritorum ſuppeditat, demtis calceis, cum ſine his incedere præoptent. Alii easdem ab Hiſpanis, aut Luſitanis ſibi comparant, quarum ſi vel obſoletam quampiam laciniam corpori adpendere poſſint, mirum inceſſu ipſo produnt faſtum, tametſi cetera nihil præter

indu-

induſium, aut interdum etiam tibialia ſine calceis in corpore habeant. Videas non raro, qui pedum uni calceum detritum, alteri tibiale induat, ſe ſe nihilominus tanquam pereleganter ornatum, magnifice circumſpiciat. Fuit e primoribus, qui e rejectaneo quodam panni rubri ſegmento pileum ſibi confecit, ac, ut omnium in ſe converteret oculos, in templum dedita opera poſtremus venit, &, quamvis ceteroquin ſeminudus eſſet, cum hoc ſuo ornatu, non ſine ceterorum omnium deſpicientia arroganter conſedit. Reliqui die feſto veſtes conſuetas, ſolito tamen nitidiores, filis coloratis intertextas, vel acu pictas induunt. Moxita cum indumento quotidiano, & feſtivo capitis ornatu adumbratur in Fig. 6.

Mulieres eodem, quo in Europa, laborant ſe ſe ornandi ſtudio, ut adeo adpetitus iſte ſexui a natura ipſa videatur eſſe

 inge-

ingeneratus. Pilis, magna prius cura carminatis, innectunt ligulas colorum omnium, ſuisque adpendunt veſtimentis: inaures geſtant e lapillis Bohemicis, aut vitris Venetis elaboratas. Manus cubito tenus e veſte eminentes, pedes item ſucco arboris cujusdam perlinunt coloris, ubi exſiccatur, violacei, pictura tigridem, crocodilum, ſimiam, vel ſerpentem referente. Digitis tribus poſtremis annulos, quotquot poſſunt, indunt. Manus, pedesque armillis exornant e vitro affabre concinnatis. Habent præterea palliola epomidum inſtar, ad pectus usque defluentia, quæ vitrellis rotundis, ope filorum nexis, & in figuram reticuli diſpoſitis, conſtant, quorum oræ numismata, nolulas, cruculas, & quidquid e vitris, lapillis, aut metallis fabricatum deprehendere poſſunt, adpendunt. Corollas aliquot precatorias collo pro monili injiciunt, tribus majoris moduli numisma-

tis

tis dependentibus. Ut jam adparatus iſte, cujus imaginem habes in Fig. 7. & 8. ſtrepitum, quo maxime delectantur, excitet, corpus ſubſultando inter ambulandum jactitant.

Divinis officiis in templo terminatis, natio quælibet in domo primoris ſui, cui carnes pro numero hoſpitum Curio pridie ſubmittit, ad epulas convenit. Honoratiores circa menſam, reliqua turba in pavimento ſtoreis inſtrato elegantibus conſident; & carnes quidem digitis eximunt, jus autem conchis minoribus e patina hauriunt. Adfert præterea marito mulier quælibet anatem aſſam cum placentis e tritico Turcico præparatis. Poſtquam viri prandio abſoluto perpotare incipiunt, epulas feminæ ritu eodem auſpicantur. Si ſacerdos interveniat, rem facit populo gratiſſimam: certatim eidem anatem, & placentas offerunt, quæ utcunque ſordida, ne offendas, acce-

ptanda ſunt. Prandium choreæ, quas infra deſcribemus, excipiunt; nunc peculiaria quædam feſta celebrandi genera percenſebimus.

Pompa equeſtris, quæ in Epiphania Domini inſtitui ſolet, originem procul dubio primæ illi debet inſtitutioni, quam de Magorum adoratione, cum religione Chriſtiana initiarentur, acceperunt. Res omnis hoc modo peragitur. Abſolutis rebus divinis, apud coloniæ Præſidem equites conveniunt, equos autem, ſicut in mentem cuique venit, colore flavo, viridi, ceruleo, aut permiſte expingunt, tintinnabula ærea, vel lignea iisdem adpendunt, caput, & tergum ligulis, variisque textilibus exornant. Inde hora conſtituta iter verſus templum hoc ordine ingrediuntur: præcedunt muſici cum tubis, tympanis & aliis artis inſtrumentis; ſequitur ſignifer cum turma equitum, quos excipiunt Æthiopes

cor-

cornua boum inflantes, & præ ſe mulos agentes ciſtis e corio factis onuſtos, quibus munera regia, ova nimirum, aſſæ, vel coctæ tritici Turcici ſpicæ, tortæ, ac unus alterve gallinæ pullus continentur. Succedunt præfecti muniis publicis, dignitatis inſignibus decori, tanta gravitate, ut conſules Romanos, debellato hoſte, urbem ingredi putares. Agmen claudunt duo e primoribus Præſidem in medio habentes, plebs denique promiſcua ſequitur.

Ante fores templi ex equis omnes deſiliunt, at tres duntaxat illi, quos dixi, Magnates cum Æthiopibus, munera illic relinquenda inferentibus, ædem ſacram ingrediuntur, qui ipſi litatione, brevique comprecatione peracta, equos rurſus conſcendunt, & per omnes coloniæ vicos pompam eodem, quo prius, ordine deducunt. Interea, nequid æmulationi, honeſtæque voluptati deſit, plerique, præmio propoſi-

to ad metam in ſtadio deccurrunt, quos cum etiam illi, qui equum ad eam usque diem nunquam conſcenderunt, æmulandi ſtudio imitentur, in terram cum riſu adſtantium effunduntur, equis cum ſella, & ornamentis quaquaverſus diſcurſantibus.

Altera feſtivitas pridie paſchatis inſtituitur. Judam Chriſti proditorem e laciniis conſarcinatis, gramineque fartis efformant, & variis expictum coloribus arbori in foro defixæ adpendunt, addito parvulo Æthiope perſonam diaboli ſuſtinente. Sagittis & arcu inſtructi ad tympani ſonitum evocantur in forum, metaque præſtituta jaculis utrumque impetunt, quibus undique confixi per plateas omnes a pueris raptantur, ac demum in ardentem rogum injiciuntur. Sed jam ad choreas revertamur.

Saltationes quævis fere natio ſeorſim inſtituit, mulieribus ante fores ædium tripudia virorum ſpectantibus. Caput coronis plu-

ma-

marum varietate mire coruſcantibus ornant: ſpectaculum ſane eſt jucundiſſimum, videre ſilvam quamdam capitum coloribus, quos nullus expingat penicillus, radiantium. Suris pedum adligant amygdala, nucleum durum, ac undique liberum includentia, quæ pedum agitatione ſtrepitum edunt genti acceptiſſimum, cui univerſe nullum arridet genus hilaritatis, niſi cum ſtrepitu, ac tumultu conjunctum. Præcipuus tamen ad choreas adparatus ſequens eſt. Contexunt e filis craſſioribus balteum quemdam reticulatum tres palmos longum, & duos latum, eidemque adpendunt, quotquot poſſunt, cervorum ungulas, & conchas minores, ſeque ita præcingunt, ut adpendices iſtæ a tergo cadant. Cumque adparatus omnis ad ciendum ſtrepitum deſtinetur, tergus ipſum modo introrſum repente flectunt, modo celerrime exporrigunt ad ſymphoniæ numerum, atque ita mutua

ad-

adpendicum illarum colliſione voluptatem propoſitam adſequuntur.

Muſicam ſaltatores ipſi ſibi faciunt; nam alios adhibere piaculum eſſet. Organa muſica ſunt tibiæ ex cannis vix palmi unius longitudine, ita comparatæ, ut altera alteram tono integro ſuperet. Has ad omnem artem, & quidem pro quovis chorearum genere peculiares norunt parare, atque inter ſe ad eum fere modum nectunt, quo fiſtulæ in organis ſolent collocari, duo inter tigilla coarctando, & e collo ſuſpenſas ea fere ratione inflant, qua pueri claves obvias, quemadmodum Fig. 9 oſtendit. Pro baſſo, ut vocant, gemina adhibent inſtrumenta: primum cucurbitis oblongis, aut rotundis conſtat; illas more tubarum, has inſerta fiſtula inflant: ad alterum pertinent tibiæ e palmæ foliis confectæ, ſonum reddentes graviſſimum. Accedit prægrande tympanum unica pulſan-

dum

dum tudicula. Tactus, quem ſaltus omnes eundem habent, eſt duarum, ut dicimus, quartarum, ac tympano, & ſaltantium pedibus deſignatur.

Ut gratiam choreis addant, ſunt, qui avium, vel ſimiæ fartas exuvias circumferant: alii ſcuta e plumis telæ adſutis geſtant, in quibus varia occurrunt animalium ſimulacra, ſed hi tibias non inflant, verum cucurbitas minores, injectis lapillis, aut tritici Turcici granis reſonantes in perticis deferunt, & exagitant, neque tamen in choro ceterorum choreas agunt, ſed extra ordinem membra in mille figuras ridiculas torquent. Saltatores in ſeries duas numero pari ſe ſe tribuunt vultu obverſo, ac tibias ſuas inflando locum lentis mutant paſſibus. Cuilibet manus motui pedis unius motus ſub eodem tactu correſpondet. Cervicem inter ſaltandum antrorſum flectunt, pedibus autem, ut tintinnabula, ceteræque veſtium

al-

adpendiculæ reſonent, terram quatiunt. Caput in tanto ſolis ardore non operiunt, unde ſudore toti difluunt, ac potandi cauſa ſaltationem crebro interrumpunt. Statis horis in ædes curionis conveniunt, ibique, & in templo ipſo, more tota Hiſpania, & America recepto, feſtive ludunt, & choreas ducunt.

Nec pueri arcentur a publica hujusmodi hilaritate, ſed plumis ornati adducuntur & ipſi a matribus, fiſtulis, quas inflare per ætatem nondum poſſunt, moris retinendi cauſa, e collo pendentibus: domum tamen cum ſenioribus ingredi, aut potum capere prohibentur. Siquis parvulorum aliquod choreæ rudimentum vel unico pedis motu prodat, gaudio parentes exiliunt, & de prole ſua mira quæque augurantur. Mulieres, ſi ſaltandi cupido illas quoque inceſſit, illud in domo quapiam abſentibus viris hoc modo exequuntur.

tür. Manibus conſertis circulum formant, & cantum quemdam inamoenum ordiuntur, inque gyrum continenter eunt; corpus autem poſt unam quamque ſtropham fere ad terram uſque inclinant. Tanta apud viros eſt horum ſaltuum adpetitio, ut non dies modo, ſed prope horas ipſas uſque ad imminens feſtum in numeratis habeant; neque Sacerdoti frenum ſuppetit efficacius eosdem in officio continendi, quam ſpes chorearum in proxima feſtivitate indulgendarum. Nec larvati, & ludicris veſtimentis induti hiſtriones, ad riſus movendos, deſiderantur, tympanum exiguum ex humero ſuſpenſum geſtantes, & ad eorumdem numerum ſaltitantes. Maxima ſunt horum durantibus feſtis privilegia: peculiari certe benevolentiæ ſignificatione a quibusvis occurrentibus accipiuntur.

Genus chorearum alterum *ſaltum crocodili* vocabant, quod crederent pueros, ac mulieres, ſi eum ſpectaviſſent, a cro-

codilo ſine dubio devoratum iri. Adparatus erat hujusmodi. Ex arborum cortice tubas parabant duodecim, longitudine ulnarum trium, forma coni truncati, qualibus nimirum pecorum paſtores uti apud nos ſolent, quibus portandis totidem erant deſtinati Indi, quos conſequebantur tubicines ſono profundo & lugubri eas inflantes. Quatuor alii cucurbitarum prælongarum ope canum latratus imitabantur. Demum duo cucurbitas minores lapillis injectis perſtrepentes dextra continenter agitabant, ſiniſtra cocum ingentem ſuſtentabant, in quem tenui pertuſum foramine ſpiritum ſic inhalabant, ut columbæ gemitum reddere videretur.

Ut vanitatem ſuperſtitionis Autor facto ipſo refelleret, ſaltum hunc a ſuis, tergiverſantibus licet, ac multa excuſantibus, inſtitui denique juſſit. Præibant lento cum ſaltatu bini illi, quos dixi, plumis

exornati, nec a muſica ſua unquam ceſſabant: ſequebantur cum ſimili ſaltandi genere quatuor alii cum prælongis cucurbitis, agmen duodecim claudebant tubicines. Nullus in foro puer, nulla comparebat mulier. Chorea tantisper intermiſſa, juſſit curio corbes aliquot bellariorum, quorum gens eſt avidiſſima, inter præſentes ſpargi. Re matres animadverſa protrudebant in publicum liberos, cupiditate diripiendi metum exſuperante. Idem ut mulieres quoque de latebris proritaret, numiſmata, tintinnabula, lanas tinctas, & grana vitrea colorata loco conſpicuo propoſuit. Prorepebant hæ quoque ſenſim ad hæc munuſcula diripienda. Conſidere deinde omnes una cum pueris eo ſub obtentu, quod direptione fatigatæ eſſent, ſimulque choreas inſtaurari juſſit. Tremebant principio, fugam circumſpectabant, oculos velabant: ſed gravi Sacerdotis oratione confirmatæ ſaltantes libere

demum ſpectabant, & metum illum inanem deponebant.

Habent præterea alia etiam animi relaxandi, & ludorum genera. Vulgare eſt ſagittis ad metam jaculari. Peculiaris ſe ſe exhilarandi ratio interdum adhibetur, quam paucis enarrabimus. Cultellum, forficulas, numiſmata, aut ſimile quid victori depaciſcuntur, & meta intervallo centum ſexaginta paſſuum defigitur, ad quam unus concertantium excurrere, viamque relegere, alter interea ſpicam tritici Turcici aſſam, ac e carbonibus tunc primum eximendam integram abſumere debet: qui prior opus peregit, præmio potitur. Videres anguſtias hominis ſpicam calore ferventem, quam vix manu tenere poſſit, edentis: lingua, dentes, palatum miſero ſic aduruntur, ut cuticulam ex ore digitis excipiat: urgent circumſtantes, oſtentant victoriæ amittendæ periculum, coguntque grana integra horridas

inter

inter geſticulationes glutire, ut ſpicam ante æmuli reditum abſumat.

E maſſa reſinæ, quam arbor quæpiam ſuppeditat, exſcindunt pilam admodum elaſticam globi tormentarii, maximi moduli, magnitudine, libras interdum quinque ſupra viginti adpendentem, & cultro tamdiu circumcidunt, dum perfecte rotundetur. In duas deinde turmas intervallo octo paſſuum ſe dividunt, & pilam pede, vel tibia in adverſam turmam propellunt; tibiam vero alii faſcia quadam obvolvunt, alii oſtentationis cauſa nuda, ac idcirco fœde intumeſcente utuntur. Adverſarius pilam exceptam flexo dextro poplite terræ allidit ope tibiæ, atque ita remittit. Cavent autem ſolicite, ne in vultum cujusquam incidat, ac ſanguinem pondere, & impetu eliciat. Cum ludendo nonnihil inardeſcunt, ad quadraginta, & amplius, paſſus a ſe recedunt, & rem non jam tibiis, ſed capitibus gerunt,

pilam tamen ante in terram incidere; ac inde in altum ſubſilire ſinunt, & capite inter relabendum exceptam parti adverſæ remittunt. *Luſus* ut ut violentus in horas protrahitur, maxime ſi partes ludo indulgentes diverſis conſtent nationibus de palma concertantibus.

Sedatior eſt ludendi modus, quo nonnulli ſe ſe oblectant. Modulum ex argilla fundunt rotundum, quem, cum exſiccatus eſt, reſina coloris lactei ex inciſa arbore profluente per vices obducunt, ſolique identidem exponunt, dum tenaci cuticula undique conveſtiatur. Nucleum deinde illum terreum aqua ſolutum exprimunt, cutem autem ipſam, cum ſe extendi facile patiatur, aere ingeſto ad magnitudinem uſui convenientem inflant: quæ cum nondum ſit ſatis orbiculata, nec pondus obtineat debitum, menſam eadem illa reſina perfundunt, & ad ſolem nonnihil indurari

ſi-

ſinunt, qua deinde revulſa pilam involvunt, inæqualitates explent, pondus quinque circiter unciarum conciliant, rurſusque liquore eodem undequaque vicibus iteratis perfundunt, ut glaberrimus efficiatur, ac demum ſiccant. Ludentes in circulum ſe diſponunt, & pilam in altum pede excutiunt, ac relabentem pede iterum propellunt. Cetera ludorum genera, quæ nihil habent peculiare, prætermittimus (*a*).

(*a*) Reſina, e qua pilæ hæ effingi ſolent, veroſimiliter illa eſt, quam nos jam reſinam elaſticam vocamus, & quæ ad fluvium Amazonum, & in Guyana *Caoutchu*, vel *Cachuchu* dici ſolet, unde barbari ad fluvium memoratum referente Condamine, cui prima reſinæ hujus notitia debetur (Memoires de l'Acad. des Sciences de Paris 1751. pag. 319) & in Guyana teſte Barrere l. cit. pilas, urceos, & vaſa variæ figuræ eodem fere, quo Moxitæ, modo effingunt. De arbore, a qua reſina hæc progignitur, inter itinerantes non convenit, aliis eandem *Hevenæ* Guyanenſi, aliis *cecropiæ peltatæ* adtribuentibus. Galli arborem hanc *bois de Siringue* vocant. Luſum cum eodem pilæ genere *Ottomachi* etiam ad fluvium Orinocco in more

Quærat fortaſſe lector, an hæc tripudia, & hi animorum æſtus non aliquando in rixas, & jurgia degenerent. Sancte adfirmat Noſter, tot annorum doctus experientia Moxitas, niſi forte largius adbiberint, nunquam in rixas proruere, ſed contentiones verbis plerumque definire; ſi quando res ultra procedat, hunc fere curſum habere. Feſto quopiam, ſignis inimicitiæ nullis præcedentibus, inter amicas confabulationes, & potionis propinationes offenſus alterum in hunc fere adgreditur modum; meminiſtin' amice te ante menſes aliquot mihi hoc, aut illud petenti denegaviſſe? memini equidem, reponit alter, ſed

---

more habent, ſed pilam capite, vel humero dextro retundunt. Eundem frequentabant olim veteres Mexicani, & Clavigero teſte hodiedum exercent Taumarenſes. Inſulæ S. Dominici incolæ ſe ſe hoc eodem ludo jam olim oblectarunt, teſtante Oviedo, at pilam rerum variarum permiſtione confecerunt. Quis divinet, undenam hæc tanta nationum, tot per regiones ſparſarum, in re non maximi utique momenti, conſpiratio.

ſed joco duntaxat putavi petiviſſe, alias daturus utique. At ille ſubridens nunc me, inquit, vindicabo igitur, & poenas a te pro injuria repetam. Bene habet, ait æmulus: eja congrediamur. His dictis adſurgunt ſedatiſſime, & alter alterius capillos una cum auriculis corripiunt, & an recte quisque adprehenderit, mutuo e ſeipſis quærunt: trahunt deinde ſemet, vellunt, torquent, colluctantur, omnisque vindicta, & victoria inde petitur, ſi detrahi alteruter in terram poſſit, quod ubi factum, finem habent inimicitiæ: conſidetur denuo, atque eadem, qua prius, hilaritate compotatur: rariſſime quidem certe accidit, ut vel gutta ſanguinis profundatur.

CAPUT VI.

De connubiis, & liberorum educatione.

Dotes, quas requirit, vir in muliere, quacum connubium inire cogitat, huc fe-

re reducuntur: ut ſciat capillos viri pecte-re, & ungere, ametque hoc officium, quoties, & quandocunque eidem collubitum fuerit: ad hæc ut farinam tritici Turcici torrefacti in promptu ſemper habeat. Siqua præterea in adparando potu ſic verſata ſit, ut flavum illud oleum, de quo ante diximus, in amphoris ſupernatet; ſi quotannis veſtem ſibi, ac marito conſarcinet; ſi pingere norit; ſi denique bene corpulenta ſit, vel ipſo, quo conjux elatus eſt, die procos invenit innumeros, ſibique ex omni illa turba unum deſignat: amor enim, ſiquem tamen habuit, immo ipſa etiam memoria cum defuncto marito ſepelitur; unde nova matrimonia tempore breviſſimo coaleſcunt.

In viro quæritur non dexteritas modo in venando, & piſcando, ſed etiam peculiaris quædam propenſio. Diſpicitur etiam, an ſpem de ſe præbeat ſementem tritici Tur-

cici,

cici, & goſſipii temporibus ſuis faciendi, colendique. Color denique quo magis fuſcus, eo eſt magis expetibilis. Fidem tori conjugalis frangere res eſt momenti utrinque exigui: culpa facillime diluitur adſeverando, ſe non quæſiviſſe, ſed ad flagitium a complice fuiſſe invitatum.

In delectu ſponſorum maxime elucet gentis inconſtantia, & mobilitas: mutant enim ſæpe intra horam vicibus repetitis animum, neque, cur id faciant, poſſunt dicere, cum ſcilicet nihil fere agant conſilio, & prævia mentis deliberatione. Sed nec inita, immo annorum etiam decurſu firmata connubia, majore conſtantia retinent. Id tamen habet indoles nationis boni, quod nec amor, nec odium altas agat radices: unde qua ſe levitate a toro communi hodie ſeparant, cras eadem iterum jungunt: quemadmodum pueri cujusdam mendacis dictum unicum ad diſſuendam,

ita

ita contraria alterius vox ſufficit ad reſtituendam ſocietatem.

Mos apud nationes nonnullas erat, ut filiis triennibus aut quadrimis puellas ætatis ejusdem in conjugium emerent oblatis aliquot anatibus, gallinis, aut viliſſimis idmodi muneribus. Ætate jam adulta a connubiis hiſce reſilire non licebat, unde cum mala fuerint graviſſima conſequuta, ſacerdotum cura conſvetudinem ſenſim abolevit.

Dici ex vero poteſt Moxitarum matrimonia pleraque egeſtate conciliari. In tota ſupellectile domeſtica ſæpe nec olla coquendo cibo, nec amphora hauriendæ aquæ ſuppetit, ſed commodato ſumuntur a vicinis, nec deinceps facile reſtituuntur: ſponſi quidem certe vix quidquam, præter corpora, ſibi adferunt, niſi forte mulier lectum quemdam obſoletum, par anatum, & gallinarum cum totidem fuſis; vir autem

faſcem

faſcem ſagittarum cum arcu. Nulla de alimentis, & veſtitu ſolicitudo: cum enim ferendis incommodis jam inde a teneris adſveverint, famem non magnopere curant, laciniis quibusvis tegi non erubeſcunt, cuncta ſibi deeſſe æquo ferunt animo, & in beneficentia aliorum acquieſcunt.

Dies ipſe nuptiarum futuræ præludit egeſtati. Nullum eo die prandium, nulli convivæ, nullus adparatus, nulla denique hilaritatis veſtigia. Peractis ad aram conſvetis ceremoniis, ſponſa lectulo humeris injecto domum mariti adit, eodemque ſæpe ne quidem ſalutato ingreditur, obſonium e rebus conquiſitis, unico, eoque viliſſimo, definiendum cibo adparat. Nec quidquam ultra de nuptiis.

Liberorum ſive defectus, ſive copia conjugum amorem nec auget, nec minuit: ſoli erant *Itonamitæ*, qui mulieres, antequam parere inciperent, nullo plane ha-

bebant

bebant loco, neque cibos illis, aut alia ad uſum vitæ quotidianum neceſſaria ſuppeditabant. Prolium numerus nullam Moxitis parit difficultatem, nullum imponit onus: tametſi enim incredibili rerum omnium premantur inopia, tamen educatio liberorum eſt facillima, cum nihil iis præter corpus, & lac maternum ſuppeditent, ſecuri, ſi non ab aliis, a curione certe iisdem proviſum iri.

Quotidianæ nuptarum occupationes vulgo ſunt, diem circumcurſando, & confabulando exigere; reliquarum actiones, & ornatus in cenſuram vocare, crepundia ſua pro feſto imminente in novum ordinem diſponere, & id genus alia. Ceterum viris ſuis pleræque ſunt induſtriores: multæ certe veſtem e goſſipio tam ſibi, quam marito quotannis contexunt: eundem in meſſe facienda, domumque comportanda adjuvant: triticum Turcicum ſemitoſtum lapide

ſuper

ſuper trunco quopiam contundunt, & in farinam redigunt: altilia curant: potum quotidianum præparant: lumbricos ante auroram in campis colligunt, atque exſiccatos more aſparagorum in faſciculos colligant: ligna pro foco comparant: ſtoreas texunt: maritum pectunt, & crines amygdalorum oleo ungunt. Suere acu neſciunt, idque fere unicum ex omni domeſtico opere viro relinquunt.

Exſpectaverit procul dubio lector, ut curam quoque prolium inter quotidianas mulierum occupationes commemorem: verum negotium iſtud matres non magnopere diſtinet. Nullæ hic, ſicut jam innuimus, cunæ, nullæ faſciolæ, nullæ, quibus infans tegatur, laciniæ: omnia bonæ naturæ relinquuntur, nec tamen unquam videbis Indum aliqua corporis deformitate laborantem. Quantum ſit, duris a teneris aſſveſcere, infantum horum exempla luculente docent.

Pro-

Procumbunt ſub dio nudi, culicum nube obſidentur, nec tamen eorum aculeis vel e ſomno excitantur, vel puſtulas contrahunt. Nulla ſunt ſtata ablactandi tempora; ubera tunc demum, cum ipſis perlubet, deſerunt. Videres non raro ab uno uberum infantem paucorum menſium, ab altero puerum quinquennem pendere. Cum ad lactantem aliæ ſanguine, vel amicitia junctæ inviſunt, aut eidem in plateis occurrunt, officii genus eſt, ut proli ubera ſugenda unaquæque perquam liberaliter offerat.

Puerorum greſſum formare, aut in gradiendo ſaltem adjuvare, res'eſt apud matres inaudita: incedat quando, aut quomodo velit, nulli plane curæ eſt; hinc quatuor etiam annos egreſſi vix repere norunt. Si pugnare exemplo velis, & oggeras, prolem in Europa poſt annum ablactari, & ad greſſus moliendos inſtitui, audies ſolemne illud: *mentiris*. Ut rem tanti momenti

Autor

Autor perſuaderet mulieribus, infantem lacte duntaxat materno nutriendum anno unico, moreque noſtro inſtituendum curavit, quem cum eodem elapſo inambulantem vidiſſent, mirabantur quidem plurimum, exemplum tamen non ſequebantur, excuſationem illam conſuetam obtendentes: *Tu ex alio, quam nos, hominum es genere*; qua in rebus quoque aliis paſſim utuntur.

CAPUT VII.

De Morbis, & eorum Curationibus.

Morborum apud Moxitas genera longe pauciora ſunt, quam hic inter nos in Europa. Nihil illic quisquam patitur ab apoplexia, calculis, hæmorrhoidibus, lepra, lue venerea, & morbis innumeris aliis, quibus nos miſerum in modum cruciamur: variolæ ipſæ temporibus hiſce poſtremis erant ab Hiſpanis primum illatæ, vi-

coſque duos pene ex integro deleverunt. Graſſantur contra dyſenteria, pleuritis, febres malignæ, catarrhus, tumores omnis generis, apoſtemata; cumprimis autem lumbricis divexatur natio, & interit. Remedia vulgaria ſunt: *Batua*, medicis Luſitanis non ignoto vimine, colica depellitur: herba, cujus efficacitate morſus Rajæ ſanatur, paucis eſt cognita. Fruticis cujusdam radix denti impoſita dolores ejusdem acerbiſſimos momento ſedat, ac intus relicta totum fruſtillatim citra doloris ſenſum exedit. His tribus abſoluitur tota gentis pharmaceutica, quæ tamen tantopere abundat herbis, reſinis, radicibusque ſaluberrimis, ſi uſum earum ediſcere voluiſſet, nec vitam longiorem cum præcoci morte pari in pretio haberet.

Sed neque ſacerdotum Europæorum curæ, ac ſolicitudines in curatione morborum multum proficiunt, cum impetrari

non

non poſſit, ut ægroti cibis, & potionibus noxiis tantiſper abſtineant. Intraverat ex Europa Jeſuita medicæ artis peritiſſimus eum in finem, ut in morbos gentis ſolerter inquireret, & modum iisdem ſuccurrendi ſacrorum adminiſtros edoceret; at cum ad ægrotantes inviſere cœpiſſet, obſtupuit ad novum hominum genus, qui dum capitis doloribus vexabantur, de ventre, aut alio quopiam membro querebantur, nec ullis ſe artis legibus adſtringi patiebantur, ac propterea paſſim emoriebantur. Indignatus vir optimæ voluntatis, nullo operæ pretio rediit, conteſtans malle ſe equorum, quam horum morbos curandos ſuſcipere; nam equi, ajebat, cum loqui neſciant, non etiam, ut hi, mentiuntur, ac proinde diſerte edicebat, nec illis medicinas, nec illos medicinis eſſe aptos.

Quod morborum plerorumque cauſam, atque originem adtinet, pervagata apud

omnes, & experientia quoque confirmata erat opinio, eosdem a lumbricis, quibus hominum corpora referta ſunt, progigni, hoc autem ipſum inde exiſtere, quod tenellis infantibus, quibus nutriendis non putant lac maternum ſufficere, fructus omnis generis crudi, & cocti promiſcue ingerantur. More inductum erat, ut ſacerdos bis quotidie ad infirmos animabus æque, atque corporibus medelam adlaturus inviſeret; cum vero morbo quodam epidemico invadente numerus ægrotantium augeretur, venit quidam in cogitationem exſtruendi noſocomii, & reipſa aptum, & ſat amplum excitandum curavit, in quod ægri, novitate ipſa illecti, promte immigrabant. At ubi viderunt a janitore inexorabili, ipſo nimirum curione, cibos & potus noxios ſolicite arceri, uſum medicamentorum temporibus ſtatis urgeri, egreſſum denique balnei cauſa vetari, damnabant conſilium, ac tametſi neceſſitate

pare-

parerent, & plerique convaleſcerent, tanto nihilominus odio hoſpitium illud perſequebantur, ut mallent deinceps morbum celare, ſeque in ſilvas perituri abdere, quam eodem regredi. Ita, ne remedium malo ipſo pejus eſſet, ædificium funditus dirutum eſt.

Cum ſedes morbi plerumque non niſi divinando debuerit detegi, conſultius erat ægrotantem ne quidem interrogare, aut certe longiore inveſtigatione veritatem per ambages elicere, vel, ut manu locum demonſtret, præcipere. Nam ſæpe, qui de ſtomachi doloribus querebatur, partem adfectam indicare juſſus caput, vel pectus oſtendit, ut adeo ſtomachum in capite, vel caput in pectore quærere, & curare oportuerit. Sed quid profuit ſedem mali operoſe detexiſſe, ac medicamenta præſcribere, ſi ea non horrore quopiam, ſed e pura puta deſidia ſumere negligant? Sane

unguenta columnæ domus, aut parieti non raro adpingunt, quaſi vero domus, ac non ipſimet ægrotarent. Ligamina præterea, & faſcias, ſiquid moleſtiæ adferant, abjiciunt.

At ſumſerint denique medicamenta; ſi modica accedat ſitis, vim eorum omnem noxia, & immoderata potione elidunt; aut fructuum, ac piſcium quorumvis promiſcuo eſu morbum reddunt periculoſiorem. Æſtuet quis febri vehementiſſima, vel in fluvium, ſi vires etiamnum ſuppetant, lavandi cauſa deſcendet; vel domi aqua corpori ſenum adfuſa præſens ardori remedium quæret, unde mors, vel certe ſeries morborum diuturnorum conſequitur. Si morte, quam ſibi ipſi accerſit, imminente redarguatur, reponet maxima cum animi tranquillitate: *Sine, moriar, quid tum poſtea?*

Huc referimus partus quoque mulierum, quarum perpaucæ, ſi demas *Itona-*

mitas,

mitas, quinque, aut ſex, complures vero ne unicam quidem prolem edunt in lucem; ſive quod ſicut corporis proceritate, ita viribus ſint Europæis longe inferiores: ſive quod intemperato matrimonii uſu plurimum debilitentur. Cum apud *Itonamitas* feminæ ſteriles, uti jam adnotavimus, deſpectui maximo habeantur, & acerbe quoque tractentur, radicem plantæ cujusdam ſativæ, an ſponte provenientis, Autor non meminit, adfuſa aqua decoquunt, atque potu hoc in uſum quotidianum adhibito, fatentur ſe ſpiſſos quosdam humores ſanguine permiſtos ejicere, qui conceptus impediebant. Radicis opem Noſter quoque neophytarum experimento didicit.

Cum vir uxorem purgatione menſtrua laborare animadvertit, continuo tanquam peſtem averſatur, quod putet plantas ipſas, & frutices emori, quas mulier ejusmodi vel veſte contigiſſet. Quare ultro ſe mi-

ſera a conſortio familiæ ſegregat, & lectulum in ſumma æde ſuſpendit, nec inde toto illo tempore digreditur, niſi ad officia maxime neceſſaria, & tunc vel ope ſcalæ deorſum repit, vel per funem ſe ſe demittit.

Verum ut ad parturientes redeamus, tempus, quod partui ſuo præſtituunt, eſt incertiſſimum, ac ſæpe menſibus compluribus aberrant in calculo, ſive deinde ex inſcitia, ſive incuria iſtoc oriatur. Obſtetricum tanta eſt inſipientia, & muneris exequendi ignoratio, ut opera earum adhibita fuiſſe merito eſſet præmianda. Nam aliæ cantu duntaxat quodam ſuperſtitioſo, aliæ litatione anatum aliquot *Acſanæ* facta ſuccurrunt parturienti, quibus ſi non levetur, ad ſacerdotem fit perfugium. Ceterum pleræque facillime pariunt; ſi tamen fœtus nonnihil adhæreſcat, ut proinde partus conatu quodam, ac dolore conſtet,

tan-

tanta ſunt ſegnitie, ut ad niſum nonnihil expromendum ne præſentiſſimo quidem periculo poſſint excitari, & niſi curio inſtet, mater, & proles de vita periclitentur. Fœtu edito puerperam, niſi pallor proderet, fuiſſe non crederes, ita continuo ſurgit, curſitat, & munia conſueta obit. Siquando monſtrum venit in lucem, celant ſolicite, ac etiam rectiſſime valens in ipſis parientis ædibus illico ſepeliunt.

Tametſi in cognitione herbarum ſalubrium ſint rudiſſimæ, vim tamen noxiarum minus ignorant. Sunt, quarum ſucco uterum conceptui ineptum reddunt; ſunt, quibus prolem immaturam expellunt, ac in ſilvis etiam viventem clam ſepeliunt. Nec deſunt, quæ lapidem prægrandem ſive ſuis manibus, ſive aliena opera ſuper ventre volvunt, fœtum non ſine vitæ propriæ periculo conterentes. Ut malis his præverteret Autor, prægnantes referri in libellum

juſſit, inque illas menſibus ſingulis inquiſivit, & proles editas ſibi ea cum ſponſione indicari præcepit, curam infantum in ſe ſe recepturum eſſe, maxime ſi mater innupta eſſet.

Concludam argumentum iſtud conſuetudine ſane quam ridicula. Natio eſt *Cſiriguana* etiamnum barbara, ubi mulier partu levata lectum deſerit, inque locum ejusdem maritus ſufficitur, pone adpoſito arcu, ſagittis, omnique viri ſupellectile. Uxor eidem, tanquam a puerperio languenti cura inſervit peculiari: ille vero hebdomadis aliquot pedem lecto non effert.

CAPUT VIII.

De Ædibus, & Forma regendi politica.

In defigendo coloniæ loco cura princeps eſt, ut ſitus ceteris altior, & ab aquarum inunda-

undationibus tutior deligatur. Domus pro varia locorum opportunitate varie diſtribuuntur. Apud Noſtrum hæc erat ædificiorum ratio. Domus quælibet occupabat aream, cujus longitudo ad ulnas quatuor & viginti, latitudo ad tredecim tendebatur, ædium ipſarum altitudo ad decem adſurgebat. Pars latitudinis ad duas cum dimidia porticui tribuebatur, quæ removendis a pariete deliquiis, umbræque captandæ fuit omnino neceſſaria, & plateam verſus patebat. Pavimentum ultra reliquam aream ad ſpithamam unam exaltabatur, ut ſcilicet humor arceretur. Tectum ſuper porticum procurrens columnis quadratis ſuſtentabatur. Parietinæ confiebant ex argilla cum paleis ſubacta, quæ ſole lapidis inſtar induruerat.

Eadem erat ſtructura ædium etiam parochialium, niſi quod curiones aliqui ſuas e coctis lateribus ad contignationem extu-

lerint. Domus omnes intus & foris argilla quadam candidiſſima dealbabantur. Ima parietum, portarum item & feneſtrarum ſuperliminaria colore, marmoris ſpeciem referente, tingebantur. Portæ, atque feneſtrarum valvæ & crates erant cedrinæ. Tecta herbis, & caricibus conſtabant, quod uſus docuerit illic, ubi lateres adhibebantur, veſpertiliones majore longe numero ſe inſinuare.

Domus, & plateæ omnes erant ad lineam exactæ, ac januæ propter aeris perflatum ſic diſpoſitæ, ut, cum omnes apertæ eſſent, per integram domorum ſeriem transſpectus pateret. Inter binas quasvis ædes, propter incendiorum pericula, ſpatium ſexaginta paſſuum relinquebatur. Forum in medio vico erat quadratum, lateribus ſexaginta paſſuum undique terminatum, in cujus medio crux præalta cancellis, & arboribus circumſepta, in an-

gulis

gulis vero minores erant defixæ, & ſacella addita, ad quæ ſupplicationes deduci conſueverunt. In domo quavis, propter adjumenta mutua, binæ collocabantur familiæ, aut interdum, ſi pauciorum eſſent capitum, etiam ternæ: at qui merita habebant peculiaria, vel educationem orphanorum in ſe recipiebant, propriis gaudebant domiciliis.

Templa multis in locis ea fuerunt ſtructura, & amplitudine, ut adprobationem vel in Europa mererentur: muri quidem certe e lateribus ſole induratis ad eam erant educti altitudinem, ut vix oculis ipſis poſſis credere illos ſine calcis, & mortarii vinculo erigi potuiſſe. Aræ, & cathedræ, a duobus potiſſimum Bohemis Jeſuitis elaboratæ, auroque conveſtitæ, erant viſu profecto digniſſimæ. Nec minoribus gaudebant ornamentis feretra, quibus divorum ſtatuæ ex Italia ſubmiſſæ in ſupplicationi-

bus

bus circumferri ſolebant. Sacra indumenta, & reliquus adparatus ſplendore, & copia multis Europæis nihil concedebant; ſed nec ſupellex argentea deſiderabatur.

Supereſt, ut de ſumtibus ad hæc omnia comparanda neceſſariis commemoremus: pauca tamen prius de interna provinciæ conſtitutione delibanda ſunt. Nihil unquam ex ærario regio coloniis hiſce fuit adtributum: viciſſim autem nec Moxitis vectigal ullum impoſitum, tametſi nationes ceteræ illud penderent. Cauſa diſcriminis fuerit, quod more America tota recepto, ubicunque indigenæ Regi tributum ſolvunt, ſacri eorundem curiones ſtipendia viciſſim ex ærario regio percipiant: cum igitur a dependendo ejusmodi tributo eximantur ſenes, pueri, morbo inveterato adflicti, omnes præteera commodo publico ſervientes, uti ſunt textores, fabri, muſici, paſtores, & alii publica gerentes officia, ſi

Mo-

Moxitæ pendere quidpiam debuiſſent, pro exiguo contribuentium numero ad ærarium regium ne quidem tanta facta fuiſſet acceſſio, quantum annua ſacerdotum ſtipendia abſtuliſſent. Unde ipſa exigebat parſimoniæ ratio, ut neque populo vectigal, neque ſacerdotibus ſtipendium a rege pendendum decerneretur.

Hiſce delibatis, veniamus jam ad fontes illos, unde ſumtus ad memorata ædificia atque eorum adparatus ſuppetebant. Primus omnium erat pia Hiſpanorum Peruanorum beneficentia, qui bonam hæreditatis partem inſtituto huic ſaluberrimo certatim conſecrabant, atque provinciæ Præſidi conſignabant, ut ſummam inde redactam in res coloniis neceſſarias impenderent. Alii bona immobilia, quorum emolumenta eundem in finem deſervirent, large addicebant.

Scar-

Scaturigo altera, unde ſuppetiæ promanabant, apud ipſos neophytos erat, quorum alii ceram in ſilvis colligebant; alii ſebum, orizam, telas e goſſipio textas, ſtruthionum pennas, & alias generis ejusdem merces conferebant, quæ in S. Crucem, urbem ducentis remotam leucis, adverſo flumine ad conſtitutum procuratorem devehebant, qui pretio inde redacto res coloniis neceſſarias coemebat. Commercium enim apud gentem internum erat nullum: aurum, & argentum ne nomen quidem in ejusdem lingua habebat. Cum Hiſpani adverſus Luſitanos proficiscentes alimenta vellent emere, vix poterat induci populus, ut ea pro pecunia ſuppeditaret, quæ tota Sacerdoti conſignabatur, qui lanas tinctas, cultros, numismata, & alia uſibus eorum adcommodata ære illo comparabat, & convenienti proportione cuique diſtribuebat.

Tertius expenſarum fons manabat ab ipſis ſacerdotibus, quorum plurimi loco opulento nati hæreditatem ſuam pio huic operi conſecraverunt. Sed nec aliorum in Europa defuit munificentia, qui, audita religionis apud populos barbaros felici progreſſione, opes ſuas in ſalutare iſtud inſtitutum liberaliſſime contulerunt.

Reſtat ad extremum, ut de civili quoque gentis gubernatione nonnihil adtingamus. Cum ſacri Curiones probe intelligerent, homines barbaros religione, cum certa ſpe ſucceſſus, & ſtabilitatis, imbui non ante poſſe, quam feritate poſita mores humanos induiſſent, neceſſe habebant formam quamdam regiminis, qua civilis ſocietas firmaretur, inſtituere, quæ ad nationis indolem adcommodata, & ſimplex admodum eſſet. Caput coloniæ, judex, magiſter, pater, medicus, oeconomus, immo & ſervus ipſe erat curio: ceteri magiſtratus

prima die Januarii quotannis legebantur. Qui munia anno ſuperiore gnaviter adminiſtrarunt, ad altiores dignitatis gradus promovebantur, ſegniores contra in ordinem redigebantur, quæ res, dici vix poteſt, quantam apud gentem, gloriæ adpetentem, excitaverit æmulationem. Riſu ſane digna quotannis in orbem redibat ſcena: vidiſſes anno ad finem inclinante miras artes, miram apud omnes ſolicitudinem expiſcandi, utrum ſuo in munere conſervandi, an provehendi, an gradu movendi eſſent. Volupe fuit menſibus Decembri, & Januario coloniam regere; imperia quisque præveniebat; priore quidem, ne officium perderet: poſteriore, ut delectus æquitatem opere ipſo confirmaret. Sed hæc diligentia cum menſe Januario plerumque finiebatur.

Propter nativam illam, de qua ſuperius diximus, gentis deſidiam, rerumque ſuarum incuriam multis in locis neceſſe fuit

homi-

homines ut pupillos ſpectare, rerum omnium adminiſtrationem ſuſcipere, neceſſaria cuique ſuppeditare, & omnes, tanquam qui uſum tantum, & fructum rerum ſuarum habent, conſiderare. Ita communis omnibus erat ager communi excolendus opera: ad domum cujusvis vel exſtruendam, vel inſtaurandam convocabantur univerſi: goſſipium ſimul omnes plantabant, & colligebant: equi, ac cetera pene omnia Curionis arbitrio, prout neceſſitas cujusvis ferebat, diſtribuebantur. Inſtituto hujusmodi obtinebatur, ut, cum ad opus quodlibet faciendum omnibus concurrendum fuerit, ipſimet ſegniores incitarent, abſentibus autem negligentiam ſevere exprobrarent.

Ad curas etiam Sacerdotis pertinebat, ut veſtes nitide, quantum fieri poterat, ſervarentur: ut in publico, templo cumprimis, loti, atque pexi comparerent: ut

altilia, quibuscum promiſcue habitare ſolebant, e cubiculis eliminarent, ſuisque in cortibus recluderent: ut ædes ſuas una cum adſita plateæ parte quotidie ſub auroram everrerent, & quidquid oculos, vel nares offenderet, ſubmoverent. Scamna complura, immo ſellæ quoque corio inductæ ſuppeditabantur, ne, quemadmodum conſueverant, humi uti canes conſiderent, quod tamen cum fieri interdum neceſſe ſit, proviſum erat, ut ſtoreæ opere plucherrimo contextæ ſubſternerentur, quibus non pauci pavimentum omne diebus ſolemnioribus contegebant.

Pœnæ quoque, & quævis correctionum genera in ejusdem arbitrio erant. Nemo certe, qui gentis characterem ex hactenus dictis perſpexit, judicis officium indigenæ cuiquam committi potuiſſe ſibi perſuaſerit: primus enim, ut Noſter ait, legum tranſgreſſor judex ipſe fuiſſet. Accedit, coloniam

niam quamvis conſtare nationibus diverſis, diu ſe bellis, mutuisque odiis laceſſentibus, quorum memoria, & quædam reliquiæ multorum animis hodiedum infixæ ſunt, unde iræ veteres, & rixæ facile suſcitarentur. Sed nec Hiſpano cuiquam gubernacula tradi poterant: quid enim Hiſpanus in regione, qualem in ſuperioribus deſcripſimus, & in tanta Indorum egeſtate quæreret? Sed de Hiſpanorum cum coloniis hiſce commercio paulo infra differemus, nunc recepta pœnarum genera videamus.

Pœnæ delictis proportione reſpondebant. In uſu erat carcer cum moderata abſtinentia, quæ ſola proprie pœna dici poterat: nam carcer Indo ſtertendi occaſionem ſuppeditans præmii potius habebat locum. Ictus flagello numquam ultra duodecim infligebantur. Siquis delictum gravius admiſit, crines ejusdem forficibus reſecabantur, quæ puniendi ratio delinquen-

tem vehementer adfecit. Qui crimen patravit atrocius, uti ſunt incendia ſponte excitata, vel commota ſeditio, plectebatur exilio, & vel in coloniam aliam, vel ad proximum Hiſpanorum oppidum ad tempus, aut etiam in perpetuum deportabatur.

Hæc erat Miſſionum illarum facies, quas Jeſuitæ apud Moxitas multo ſudore, ac ſanguine fundaverunt, ad unam & viginti colonias propagaverunt, & ad noſtra usque tempora gubernarunt. Non deerant tamen, qui ſive odio, ſive invidia incitati easdem duplici potiſſimum cavillationis genere inſectarentur. Crimen primum, pleriſque Jeſuitarum Miſſionibus commune, erat, quod Hiſpani a commercio neophytorum penitus excluderentur: alterum, quod Moxitæ ad regis ærarium nihil quidquam conferrent. Ad utrumque Autoris argumentis breviter reſpondebimus.

Quan-

Quantum ad primum, teſtes adpellamus omnes illos, qui annis 1763 & 1766 bello inter Hiſpanos, & Luſitanos fervente apud Moxitas diverſati, omnique cum benevolentia accepti fuerunt, qua de cauſa natio a Præfectis militum Proregi, ac ipſi etiam Catholico Regi magnopere fuit commendata. Intrant certe quotannis Hiſpani tametſi pauci, & hi ipſi neceſſitate magis, quam commercii cauſa compulſi. Quid enim quærant apud egentiſſimos, & rebus pene omnibus, quibus vigere commercia ſolent, deſtitutos? Quid illos alliciat, ut ſuperent tot fluviorum, & paludum impedimenta, pervadant ſilvas impervias, ac feris infeſtas, iter tam longinquum nullis uſpiam inſtructum hoſpitiis emetiantur?

Illud negari minime poteſt, Hiſpanos ſacerdotibus admodum infenſos a Moxitis non paucos rediiſſe, qui criminationum hujusmodi autores erant. Homines hi lu-

cro, & nundinationi unice inhiantes a neophytis rerum, & pretiorum æque ignaris paucis granis vitreis, aut viliſſimis tintinnabulis veſtem, lectum, & complures goſſipii libras mercabantur, ita ut multi rerum ſuarum incurii nudi non raro remanſerint, temploque abſtinere menſibus integris coacti fuerint. Quare pacta hujusmodi conventa Curionum autoritate, non ſine emtorum bile, reſcindebantur, atque advenarum emacitas coercebatur. Certe ipſe quoque militum Hiſpanorum dux ſevere interdixit, nequis ſuorum absque Sacerdotis conſenſu quidquam cum neophytis ſtipuletur. Expetendum ſane fuiſſet ſacrorum curatoribus, ut Hiſpani mercibus onuſti adveniant, ne ſemper Limam, vel ad urbes remotiores confugiendum eſſet, unde illas ſumtu maximo poſt duos interdum annos, nec raro ſemiputridas, aut confractas ſibi compararent.

Ne-

Neque alterum calumniæ genus majoris eſt ponderis. Tametſi enim tributum Moxitæ, utpote gens omnium pene rerum egentiſſima, nullam pendant, penſant tamen illud abunde aliis obſequiis, & maxima in loco, & tempore adferunt emolumenta. Bello Luſitanico ultimo exercitum integrum navibus onerariis devexerunt: annonam gratuito anno toto largiſſime ſuppeditarunt, triticum ſcilicet Turcicum, orizam, crematum, ſaccharum, fabas, cucurbitas, platanos, & id genus alia: congeſſerunt in uſum caſtrorum ligna: equos militi deducendo commodarunt, quorum plerique vel perierunt, vel propter incuriam profugerunt: fuderunt machinas bellicas: ſclopos vitiatos repararunt: advexerunt tormenta, & annonam ad locum usque obſidionis: domos denique per viam exſtruxerunt militi recipiendo opportunas,

quæ Præfecti omnia ſcripto Regi transmiſerunt.

Verum tametſi hæc abeſſent ærarii regii emolumenta, ſunt alia utiliora, Regis quidem Catholici nomini longe honorificentiſſima. Audiamus Autorem, & opus verbis ejusdem concludamus. „An non „ ſatis ſit Regi Catholico tot millia capi„ tum infidelium, quæ nullam Creatoris „ notitiam, nullam humanitatis ſpeciem „ præferebant, & homines, & Eccleſiæ fi„ lios effeciſſe? An non glorioſum magis „ tot eccleſias vero Deo dicatas numerare, „ ubi prius incultæ ſilvæ, & mera cam„ porum vaſtitas? An non auro pretioſio„ res tot animæ, parvulorum præcipue, „ quæ ſubmiſſis a Rege Miſſionariis ſalu„ tem ſuam debent? An non magni faciendæ „ a Regibus Catholicis tot, tamque vaſtæ re„ giones, quarum ne nomina quidem an„ teceſſoribus ſuis nota erant, nomini Hi-

ſpano

„ ſpano hodie devotiſſimæ, idque quin ul-
„ los eam in rem ſumtus expendiſſent?
„ An non encomiis digniſſimum barbaros
„ feriſſimos, nudos, absque rege, ac le-
„ ge vivere adſuetos, domorum commodo
„ deſtitutos, bellis, ac mutuis odiis ſe ſe
„ depaſcentes, carnibus humanis epulari in
„ deliciis numerantes, probra denique hu-
„ mani generis in eum ordinem redegiſſe,
„ ut primitivæ Eccleſiæ formam exhibeant,
„ & rempublicam bene ordinatam conſti-
„ tuant? Deſinant, obſecro, obmurmurare
„ hi rerum etiam optimarum cenſores, &
„ vel negent hæc eſſe commodis adnume-
„ randa; vel fateantur plura, eaque maxi-
„ mi momenti eſſe commoda, quæ in Re-
„ ges Catholicos ex tot millium Indorum
„ converſione emanant. „

F I N I S.

INDEX LIBRORUM, ET CAPITUM

LIBER PRIMUS

DE COMPENDIARIA REGNI PERUANI DESCRIPTIONE.

CAPUT I.

Pag.

De Situ Regni, & urbe Lima ſpeciatim. 1

Cap. II. *De phyſica Peruviæ Topographia.* 15

Cap. III. *De nonnullis Animalibus, Fructibus, & Forma Regiminis.* 30

LIBER SECUNDUS.

DE INDOLE REGIONIS, QUAM MOXITÆ INCOLUNT, ET PECULIARIBUS REGNI VEGETABILIS PROCREATIONIBUS.

Cap.

CAPUT I.

Pag.

De naturali Provinciæ conſtitutione. . . 44
Cap. II. De Fluviis, & eosdem trajiciendi modis. 66
Cap. III. De nonnullis Arborum, Fruticum & Fructuum ſpeciebus. . 76

LIBER TERTIUS.

DE VARIIS ANIMALIUM GENERIBUS.

CAPUT I.

De Mammalibus. 108
Cap. II. De Avibus. 142
Cap. III. De Piſcibus. 164
Cap. IV. De Amphibiis. 179
Cap. V. De Inſectis, & vermibus. . 198

LIBER QUARTUS.

DE INDOLE, ET MORIBUS POPULORUM GENERATIM.

CAPUT I.

De externa corporis conſormatione,

Pag.

tione, atque habitandi ratione. 212

Cap. II. *De animi Facultatibus, & Propenſionibus.* 223

Cap. III. *De variis ſuperſtitionum generibus.* 241

Cap. IV. *De variis venena parandi, iisque utendi modis.* 256

Cap. V. *De modo barbaros conquirendi, & ad civilem ſocietatem, ac Religionem pelliciendi.* . . . 264

Cap. VI. *De Mamelucorum Infeſtationibus.* 276

LIBER QUINTUS.

DE MOXITIS CHRISTIANIS SPECIATIM.

CAPUT I.

De multiplici feras venandi modo. . 284

Cap. II. *De Piſcationibus.* 301

Cap.

Pag.

Cap. III. *De dexteritate in Arteſactis.* 307
Cap. IV. *De Cibis, & Potibus.* . . . 316
Cap. V. *De Feſtivitatibus, Choreis, & variis Ludorum generibus.* 326
Cap. VI. *De Connubiis, & Liberorum Educatione.* 345
Cap. VII. *De Morbis, & eorum curationibus.* 353
Cap. VIII. *De Ædibus, & Forma regendi politica.* 362



Fig.3
Fig. 2.
Fig. 1

Fig. 4.




Fig. 5


Fig. 6.



Fig. 7.

Fig. 8.



Fig. 9.





Binder Sc. Budæ.

2017-B15

UYNN ✳

Coll. Comp'g8

With 8 fold. engr. pl.
incl. a map of Moxos
by Brider after the author.
XVIII, 383, (1 bl.) pp.

Sabin 21830
Palau 78,352
de Backer-Somm. III, 336
Streit III, 1136
Medina 5456